



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Impedimentis Matrimonii, Usu Et Divortio

Bosco, Jean a

Lovanii, 1685

Sectio Prima. De Impedimentis Matrimonij in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73448)

S E C T I O P R I M A.

D E I M P E D I M E N T I S M A T R I M O N I I

I N C O M M V N I.

4.
Impedimen-
ta quædam
sunt juris
nature, alia
juris divi-
ni positivi,
tertia juris
humani.



Uniam lex triplex est, naturalis scilicet, Divina positiva, & humana; hinc etiam triplicia possunt excogitari impedimenta, prima juris naturæ, secunda juris divini positivi, & tertia juris humani. De impedimentis juris naturæ nihil hic speciale occurrit dicendum, nisi quod sint quædam prohibentia Matrimonium occasione aliquâ extrinsecâ, seu per accidens, vtpotâ si inter aliquas personas immineret aliquod grave scandalum, vel aliquod grave damnum, quod naturali obligatione vitandum sit. Quantum ad impedimenta juris Divini positivi: Dico primò:

C O N C L U S I O I.

Jure Divino positivo extabant quædam impedimenta in lege veteri.
In lege nova nullum à Christo Domino fuit denuò institutum.

5.
Probat
Conclus.

Conclusio est certa, argumento desumpto ex Scriptura, negativo quidem quoad ultimam partem, quia in toto novo Testamento talis institutio non legitur; affirmativo autem quoad primam partem, quia Levit. 18. legitur institutio quorundam impedimentorum penes aliquos gradus consanguinitatis, & aliquos affinitatis. Et exploratum est (inquit Averſa hic q. 9. sect. 1. §. Iure positivo) illa impedimenta statuta fuisse, non tantum tamquam prohibentia, sed etiam tamquam dirimentia. Equidem non sic exploratum, quin ab Aliquibus negetur.

Aversa.

Non omnia
impedi-
menta ve-
teris legis
erant juris
nature.

Et quamvis (prosequitur idem auctor) plerique DD. opinati sunt, omnia illa impedimenta fuisse ibi signata tamquam de Jure naturali dirimentia Matrimonium: communior tamen & vera sententia est, plures ex illis gradibus consanguinitatis & affinitatis, non jure naturæ sed tantum positivo præcepto Divino habuisse vim dirimendi Matrimonium: licet aliquis etiam ibi gradus signetur, qui naturali jure dirimit Matrimonium. Quod totum suis locis videbimus tractando de ipsis gradibus.

6.
Quæ erant
jura positi-
vi amplius
non obli-
gant ex vi
illius legis.

Impræsentiarum autem profus certum & notum est hæc impedimenta in quantum præcisè obligabant ex vi legis Mosaicæ, jam penitus cessasse, adeoque nullatenus astringere fideles legis novæ professores, nisi inquantum

aliquod vel aliqua sunt juris naturæ, aut quæ etiam essent juris Divini positivi, tamen sunt ab Ecclesia relumpta ob morales congruentias.

Quod probè intelligens Concil. Trid. sess. 24. de Matr. can. 3. ait: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.*

Trident.

Inquit: *nonnullis*; quia integrum relinquit asserere, quosdam esse gradus, jure ipso naturali impediens & dirimentes, in quibus proinde dispensare non possit.

Neque his officit, quod de conjugio consobrinorum scribit Gregor. ad Aug. Anglorum Episcopum c. 6. (& refertur c. 20. 35. q. 3.) *Quædam lex terrena in Romana Rep. permittit, ut si frater & soror, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia miscantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. unde necesse est, ut in quarta vel quinta generatione fidelium licenter sibi jungantur.*

7.
Occurrit
objectioni.

Siquidem per legem sacram intellexit legem Ecclesiasticam, quæ prohibet & irritat Matrimonium consobrinorum, alioqui in Levitico non prohiberetur. Vitur autem eo modo loquendi, in textu Levitici observato, de non revelanda cognationis turpitudine, alludere volens, per modum convenientiæ & exempli, ad antiquam prohibitionem Levitici.

Quid Greg.
intellexit
per legem
sacram.

Et eodem modo explicandus venit Zacharias, quando rescribens Episcopo Ticin. (& ponitur 30. q. 3. c. 2.) inquit: *Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus præceperit per Moysen, dicens: Turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis non revelabis: turpitudine enim tua est. Cum ergo à propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis à spirituali nostri patris filia omni excusatione aut argumento seposito, sub nimia districtione nos cavere convenit. &c.*

8.
Quomodo
explican-
dus Za-
charias Pa-
pa.

Vbi Zacharias refert quidem (inquit Averſa sup. §. Quare) antiquam prohibitionem Levitici, non tamen tamquam adhuc per se obligantem, sed per modum paritatis, ut sicut Divinâ illâ lege jubemur, id est, jubebamur abstinere à consanguinitate carnali, ita convenienter per legem Ecclesiasticam jubemur abstinere à cognatione spirituali in Matrimonio contrahendo, de qua ibi specialiter loquebatur, ut patet

Aversa.

ex

ex principio cap. quod sic sonat: Pitacium (id est, charta vel scriptura, continens petitionem alicuius) nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per quod sciscitari curasti, si liceat filio, cuius Pater alterius filiam ex sacro Baptismate suscepit, susceptam, id est, spirituales eius Patris filiam (quod dici crudele est) in Matrimonio accipere: quod apud te enormiter asseruisti contigisse: sed bene &c. ut sup. Igitur Zacharias non solum à pari, sed quasi à fortiori arguit, dicens: Multò magis &c.

Novam, adhuc Matrimonia irrita sint inter di-ctas personas? Negat Aversa sup. §. Etiam, post Sotum 4. dist. 39. q. 1. a. 1. & alios, quos citat.

Et patet (inquit) quoniam simpliciter & absolute illa lex quoad Judæos abrogata fuit, quos solos antea astringebat: nam alioqui quoad Gentiles numquam habuit vim obligandi. Et dum successit obligatio legis Novæ, jam extincta fuit obligatio Veteris, etiamsi Judæi ex sua obstinatione non acceptent legem Novam, quia satis est, quod profus acceptare teneantur, & verè eà obligentur. Hæc ille.

Notat autem Sotus sup. Si Judæi, quando antè passionem Christi Remp. liberam habebant, impedimentum dirimens statuisset, hodie durare. Quia illæ leges sæcularis Reip. non sunt abolitæ per Christum. Vnde fit (inquit Sanchez lib. 7. disp. 3. n. 6.) minimè audiendum esse Henriquez lib. 12. de Matr. c. 1. n. 5. dicentem, nunc apud infideles Judæos, qui lege Moysis volunt impiè gubernari, esse irritum Matrimonium prohibitum Levit. 18. quod si uterque conjux ad fidem convertatur, Ecclesiam permittit, ut ex dispensatione in eo matrimonio permaneant. Quia illa lex Mosaica profus extincta illos minimè astringere potest. Nec de ea Ecclesiæ dispensatione constare potest. Hæc ille.

Sed contra hanc doctrinam Soti facere videtur, quod Hebræorum Respub. hodie non sit libera, ut ibidem docet Sanchez, imò non sit vera Respub. cum non habeat Principem, sed Judæi aliorum Principum gubernationi subiciantur, ut proinde hodie non videantur durare leges antè passionem Christi institutæ, sicut non durat ampliùs Respub. quæ antè passionem Christi erat.

Deinde pro doctrina Henriquez videtur facere, quod Innoc. 3. cap. 4. de Consang. allegat, Judæos conjunctos secundum veteris legis instituta in gradu prohibito à lege Canonica, post Baptismum non esse separandos, quasi scilicet secus sint separandi. Et cap. ultimo de Divortijs, similiter non debere separari Judæum, qui duxerat uxorem fratris sui defuncti, si hic absque prole decesserat, prout nempe lex vetus tale Matrimonium concedebat, quasi etiam secus separari debuisset.

Respondet ad ultimum Aversa sup. §. Et ad Canones, Pontificem definire quidem, valere illa Matrimonia, & conservanda esse, etiam post Baptismum, quæ inter Judæos contracta fuerant juxtà ritum suæ legis, quia de hoc rogatus fuerat, & ad hoc petebatur responsum. Sed non per hoc definit, non valere & separanda esse eorum Matrimonia, contracta contra ritum veteris legis, sed hoc intactum reliquit. Et de hoc etiam dici debet, non esse irrita talia Matrimonia, loquendo præcisè ex vi illius legis, & nulla alia lege obstante. Ita Aversa.

Sed, ut verum fatear, hæc responsio non ad plenum mihi satisfacit. Quamquam enim in d. c. fin. non expressè definit Pontifex, non

Objicitur etiam auctoritas Innoc. 3. ex c. Literas 13. de Restitutione spol. ibi: Opinioni autem ultime videtur non incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis Divinâ lege prohibitis, restitutioni aditus præcludatur, sed constitutione interdictis humanâ, restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari. Et infra: Propterea melius videtur, quòd cum opponitur consanguinitas, præsertim in gradibus Divinâ lege prohibitis, &c. Vbi hic Pontifex planè videtur supponere, adhuc vigere Divinam prohibitionem de contrahendo Matrimonio in quibusdam gradibus, & in ijs à Pontifice dispensari non posse.

Respondet Aversa sup. in fine: Innocentius refert plures quasdam sententias de casu ibi quæsto, & supponit tam Divinam antiquam, quàm Ecclesiasticam prohibitionem præsentem de matrimonio in quibusdam gradibus, & solum intellexit à Pontifice in ijs dispensari non posse, id est, non debere, non expedire, cum ibidem dicat, non esse consuetum, ibi: Rescripto petebas Apostolico edoceri, utrum quando aliquis consanguinitatis gradus objicitur, in quo sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit.

Vbi Gloss. verb. Non potest: Id est, inquit, non vult, vel non expedit. Quod ipsum (inquit Aversa supra) referendum est ad Ecclesiasticam prohibitionem, non ad Divinam veterem.

Igitur Innoc. 3. procedens d. cap. solum arguendo & referendo sententias, allegat obiter (inquit Herinx hic disp. 6. q. 1. n. 2.) Ecclesiam in gradibus jure Divino prohibitis dispensare non posse, supple convenienter, ideoque non consuevisse, quia scilicet non expedit ordinariè loquendo, etsi (ut praxis Ecclesiæ docet) interdum dispenset, & ipsam in quibusdam gradibus, à Deo olim prohibitis, dispensare posse, definit Trid. sup. & quantum ad secundum gradum supponit idem Trid. sup. c. 5. Ipseque Innoc. 3. cap. Gaudemus, de Divortijs. Hæc ille.

Rogat aliquis, quæ personæ olim Divinâ lege fuerint prohibitæ? Habentur his versibus apud Gloss. sup. verb. Divinâ lege:

Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor, Et patris conjux, mater, privigna, noverca, Vxoribus, soror, privigni nata, nurus, Atque soror patris conjungi lege vetantur.

Sed adhuc dubium superest: num saltem respectu Judæorum, qui non susceperunt legem

Sotus.

12. Probatur quod non, ex Aversa

Notabile aliquod ex Soto.

Sanchez. Henriquez.

13. Oppugnatur.

Arguitur pro doctrina Henriquez.

14. Resp. Aversa.

9. Objicitur auctoritas Innoc. 3.

Resp. Aversa.

10. Itemq; Herinx.

11. Quæ personæ olim divinâ lege fuerint prohibitæ.

An Iudæi adhuc obligentur.



valere & separanda esse eorum Matrimonia, contracta contra ritum veteris legis; satis tamen, dicit aliquis, hoc videtur indicare dum rescribit Livoniens. Episc. in hæc verba: Quia dispar est ritus Livoniens. de novo ad Fidem Catholicam converforum à nostro: propter infirmitatem Gentis ejusdem concedimus, ut Matrimoniis contractis cum relictiis fratrum utantur: si tamen fratribus decedentibus sine prole, ut semen defuncti, juxta legem Mosaicam, suscitarent, cum talibus contraxerunt.

15. Ad quid illa conditio: si tamen &c. nisi Pontifex judicasset, saltem tamquam Doctor privatus, separandos esse, si secus contraxissent? & quare separandi, nisi quia Matrimonium secus contractum invalidum fuerat? & per quam legem invalidum, nisi per legem veterem? Nam legi Ecclesiæ novæ nondum erant subjecti. Hæc expendenda relinquo Doctoribus.

Judicium
Auctoris.

Ego autem permaneo in communi sententia, quæ docet, ut vidimus, præcisè ex vi legis veteris, non fore irrita Matrimonia, in gradibus, illà lege prohibitis, contracta. Nisi, inquam, simul ex vi legis naturalis, aut alicujus legis humanæ, eos astringentis, dirimantur. Atque hæc satis pro hoc loco de impedimentis juris divini positivi.

Veniamus ad legem humanam, & examinemus, utrum & hæc ipsa constitui possint impedimenta Matrimonij, non solum merè prohibentia, sed etiam irritantia. Pro resolutione erit

CONCLUSIO II.

Ecclesia potest pro Fidelibus constituere aliqua Matrimonij impedimenta, non tantum prohibentia, sed etiam dirimentia.

16. Hæretici aliqui negant jure humano posse constitui impedimenta Matr.

Non defuerunt inter hæreticos, qui negaverint, posse jure humano constitui impedimenta Matrimonij. Eò quòd, si consideretur Matrimonium civiliter ut contractus, debeat relinqui sub tota libertate, quam de jure naturali habet; si consideretur spiritaliter, ut Sacramentum, debeat relinqui in sua institutione, facta à Christo Domino; qui quidem determinavit, quidquid pertinet ad substantiam & validitatem singulorum Sacramentorum, quæ non potest deinceps ullà lege, vel ab ipsa Ecclesia & Pontifice immutari.

Aversa.

Sed his non obstantibus, certum & apud omnes receptum est (inquit Aversa sup. §. Satis tamen) verè posse humano jure constitui aliqua Matrimonij impedimenta, non tantum prohibentia, sed etiam dirimentia, & quidem utiliter & prudenter.

17. Opposium

Est quæ de fide, definitum in Trident. sess. 24. de Matr. can. 4. Si quis dixerit, Ecclesiam

non potuisse constituere impedimenta Matrimonij dirimentia, vel in iis constituendis errasse, ex Trid. anathema sit. Id quæ perpetuà Ecclesiæ praxi servatum erat: ab antiquo enim constituta fuerunt varia Matrimonij impedimenta, ac deinceps retenta.

Et sicut in veteri Mosaiica lege quædam impedimenta constituta fuerunt: ita expediens erat, ut tempore legis novæ constituerentur. Ideoque non fuerunt jure ipso divino ab eodem Christo Domino constituta; quia constitui sufficienter poterant per ecclesiam, in quâ hæc potestas remanebat.

Et ratione etiam suadet: quia jure humano optimè possunt statui conditiones humanorum contractuum, tum ut licitè, tum ut validè celebrentur. Cum ergo Matrimonium sit quidam humanus contractus, optimè poterat ex ipso humano jure subijci hujusmodi conditionibus. Neque id sublatum est per elevationem Matrimonij ad statum Sacramenti: quin imò adhuc ratio Sacramenti præsupponit rationem contractus. Hucusque Aversa.

18. Quid ergo ad rationem dubitandi ex adverso allatam? Respondet idem Auctor §. & hinc arg. Hæreticorum, ex Aversa. patet: Non necesse erat, ut modus hujusmodi contractus relinqueretur in tota naturali libertate: sed bene poterat restringi & coarctari ad certas conditiones & qualitates personarum, quæ conditiones non erant alioquin præfixæ ex ipso jure naturæ, sicut planè in alijs contractibus factum est.

Necesse tamen erat, ut modus hujus Sacramenti permaneret semper in eadem institutione, facta à Christo Domino, & verè nullà humanâ potestate poterat immutari. Sed institutio Christi fuit, ut contractus legitimus cõjugalis esset Sacramentum: quare nullatenus fieri potuisset in Ecclesia, ut talis contractus non esset Sacramentum, aut alius, quàm contractus legitimus, esset Sacramentum. Sed Christus non instituit nec determinavit, quisnam esset legitimus contractus, sed hoc reliquit in humana potestate, sicuti antea erat. Hæc ille. Vide quæ de hac re diffusè disputavimus Sect. 9. præced. Partis Conclus. 3. ubi de nova lege Trid. irritante Matrimonia clandestina.

19. Sed dicit aliquis: Matrimonium est remedium contra morbum concupiscentiæ; sed ille morbus extendit se ad omnes nullo impediente; ergo similiter & Matrimonium se extendere debet, cum medicina debeat ex opposito respondere morbo.

20. Respondet Doct. Seraphicus 4. dist. 34. a. 1. q. 1. n. 12. Morbus ille aliter remediabilis est, quàm per Matrimonium, ut puta per continentiam.

20. Si rursus objicias: Nullum aliud Sacramentum habet impedimentum, quin si aliquis suscipiat de facto, susceptum sit. Ergo similiter videtur in Matrimonio, quòd qualicumque sit aliquis, tamen si de facto contrahit, suscipit Matrimonij Sacramentum.

20. Respondet D. Bonaventura sup. num. 11. Solutur ex Ratio eod.

Suadet etiam ratione.

18. Resp. ad arg. Hæreticorum, ex Aversa.

19. Obiectio.

20. Secunda Obiectio.

Ratio quare hoc Sacramentum magis habeat impedimentum, quam alia, est duplex. Vna est ratione causa efficientis; quia quamvis omnia sacramenta sint à divina institutione, & humana dispensatione; tamen hoc Sacramentum maximè consistit in humana dispensatione; quia per consensum contrahentium oritur; nec habet dispensatorem determinatum. Alia ratio est, ratione finis; quia cum omnia sacramenta sint in remedium, istud non tantùm est remedium, sed etiam in officium, & cum alia sint spiritualia, huic conjuncta est actio carnalis, scilicet conjunctio, quæ est per coitum, & ideo facilius recipit impedimenta.

Quare Sacrament. Matr. potius recipiat impedimenta quam alia Sacramenta.

21. Obijciunt 3. Matrimonium est insolubile vinculum; ergo si contrahatur, nunquam dirimitur; ergo nullum est impedimentum, quod dirimat jam contractum.

Resp. Doct. Seraph.

Respondet Doct. Seraphicus ibid. num. 14. Quod est vinculum insolubile, ex quo ligat; sed possibile est aliquos ineptos esse, ita ut hoc vinculo non vinciantur.

22. Obiectio 4. Denique, dicit aliquis: Matrimonium, cum sit Sacramentum, operatur Deus: sed divina operatio non habet impedimentum, cum Deus sit agens nobilissimum: ergo Matrimonium non habet impedimentum.

Solutio.

Respondeo ex eod. Doct. Quod divina operatio non potest impediri ubi Deus operatur ut tota causa, sed non est sic in Matrimonio; immò necesse est intervenire consensum legitimum. Præterea, operatio ista præsupponit materiam in qua. Hæc ille.

23. Conclusio.

Igitur propter hæc argumenta, quæ satis clarè soluta sunt, & aliis modis solvi possent, si foret necessarium, non est recedendum à communi Catholicorum sententiâ, jam definitâ, ut dictum est, & usu ipso expressâ in antiquis Canonibus, & à priscis Pontificibus, dum varia hujusmodi impedimenta instituerunt, quæ usque modò inter fideles cautè observata sunt.

24. Non obstat quod Matr. sit de jure naturæ.

Nec etiam obstat; quod Matrimonium sit de jure naturæ, saltem latè dicto, quod est super omnes leges humanas: quippe (ut bene respondet Esparza de Sacram. q. 115.) Matrimonium, prout est in officium naturæ, & secundùm suum conceptum substantialem, abstractum à modo & circumstantiis, soli subest juri naturæ. Cæterùm hoc non tollit, quominus simul subsit juri humano quoad modum & circumstantias, quatenus est contractus civilis, aut habet adjunctam sibi rationem Sacramenti. Quia sub hac ratione possunt plura diversis temporibus & respectu diversarum personarum modò esse convenientia, modò non, de quibus proinde oportet, ut determinent leges humanæ. Ita hic Auctor.

Ecclesia potest ponere impedimenta.

Si autem aliquis interroget: ecquæ leges humanæ? An civiles? Num Ecclesiasticæ? Conclusio nostra respondet: Ecclesia potest constituere aliqua impedimenta.

25. Obiectio.

Sed dicit aliquis, Quomodo Ecclesia id potest facere, quandoquidem Matrimonium sit contractus civilis, potestas autem Ecclesiæ

solum se extendat ad res spirituales? An fortè, quia à Christo elevatus est ad dignitatem Sacramenti? Sed per illam elevationem non amittit naturam suam, sed in natura permanit invariatus, & sic invariatus præsupponitur, tamquam Materia, ESSE Sacramentali; veluti panis & vinum, quæ sunt materia Sacramenti Eucharistiæ, & præsupponuntur ESSE Sacramenti, sunt verè res temporales, circa quas Ecclesia nihil propterea disponere potest, sed sola potestas secularis; nam ex legum civilium taxatione pretia eorum dependunt, & emptio atque venditio sic vel aliter facta, valida ac invalida constituitur.

Si dixeris: panis est materia transiens, contractus autem permanet cum Sacramento; immò est ipsum Sacramentum. Contrà: aqua permanet in Sacramento Baptismi, immò est ipse Baptismus partialiter; similiter oleum pars Sacramenti extremæ unctionis, & Confirmationis; & tamen circa eas materias sola potestas civilis seu secularis disponit.

Deinde, etsi inter fideles contractus Matrimonij semper foret Sacramentum; in infidelibus tamen separatur ratio contractus à ratione Sacramenti; adedque in Sacramento Matrimonij duæ inveniuntur formalitates, scilicet formalitas contractus, & formalitas Sacramenti realiter separabiles, etiam apud fideles, juxta alibi dicta. Quamvis ergo Ecclesia possit disponere quidpiam circa formalitatem Sacramenti, haud equidem circa formalitatem contractus.

Immò ne quidem rationem Sacramenti subijci auctoritati Ecclesiæ, videtur probari hoc argumento: Non potest Ecclesia facere, quòd verba consecrationis, à vero Sacerdote dicta, super veram panis materiam, cum debita intentione, non convertant eam in corpus Domini. Similiter non potest facere, nè maneat verè baptizatus, qui volens abluitur à me, rectam intentionem habente, & legitima verba pronuntiante: ergo nec poterit Ecclesia facere, quòd contractus Matrimonialis, initus ab his, qui volunt Sacramentum conficere, sit veri Matrimonij verus contractus, & tamen non sit Sacramentum. Igitur non dantur impedimenta Matrimonij, quæ Sacramenti, sed tantùm Matrimonialis contractus, quæ contractus. Atqui quæ contractus præcisus à ratione Sacramenti, non intelligitur esse Sacramentum; ergo nec subjectus Ecclesiæ potestati. Et hinc Ecclesia non statuit impedimenta, ut infra dicitur, contractui Matrimoniali, inito inter infideles, utpotè qui non sit Sacramentum; & per consequens neque potest constituere pro Matrimonio inter fideles, supposito quòd fideles possint separare, & de facto separant rationem Sacramenti à ratione contractus.

Nec sufficit dicere; contractus inter fideles potest esse Sacramentum; nam etiam panis & vinum, seu potius species panis & vini possunt esse Sacramentum Eucharistiæ; item

Præcluditur evasio.

26. In Matr. inveniuntur duæ formalitates.

27. Probatur rationem sacramenti non subijci auctoritati Ecclesiæ.

28. Occurrit responsioni.

aqua Sacramentum Baptismi, & oleum Sacramentum Extremæ unctionis; & tamen, antequam sint Sacramentum, Ecclesia nihil circa ea disponit.

Non etiam satisfacit: Pontificem de facto posuisse impedimenta Matrimonij, ergo & posse. Respondebitur enim Primò: potuisse hæc impedimenta ponere auctoritate Ordinariâ Regiâ in regno suo, & in alijs regnis delegatâ; ideoque in Gallia Matrimonia clandestina adhuc esse valida: quia nondum fuerunt adhuc legitimè interdicta; non enim auctoritate Ordinariâ, quia Trid. Concilium non fuit Rex Galliæ; non delegatâ, quia interdicerentur à Concilio, Rege & Regno contradicentibus: & addetur, in Hispania esse invalida, non quia interdicta à Concilio, sed quia interdicta à Catholico Rege, Concilij petitione adveniente; non secus ac si ego proponerem Regi eidem talem legem, & ipse ferret, obligarentur subditi ratione legis, non meâ propositione.

Quare in Gallia n. r. clandestinum adhuc sit validum.

29. Secundò; Reges esse homines, & sæpè excedere limites suæ auctoritatis, sese in res Ecclesiasticas ingerendo, cumque & Pontifices etiam homines sint, non prodesse resolutioni exempla, sed rationes fortes desiderari; si enim exemplis standum esset, multa in vitis & gestis Pontificum inveniremus, quæ imitaremur vel invito Decalogo.

Tertiò: Pontifices suam opinionem secutos, sed hoc non tollere, quin Reges sequi possint contrariam. Ita hanc veritatem impugnat disputationis gratiâ Caramuel Theol. Sacramentalis I. edit. n. 1346. circa finem.

30. Respondeo breviter, tametsi Pontifices non sint infallibilis sanctitatis in suis actionibus moralibus, & ideo non oporteat omnia illorum gesta imitari; equidem sunt infallibilis veritatis in suis definitionibus, maximè cum Concilio Generali.

Cum ergo in Concilio Trid. auditis plurimis rationibus in contrarium, ut alibi diximus, definitum sit, Ecclesiam habere hanc potestatem, amplius non potest Catholicè de ea dubitari; ita ut non debeat impostorùm vocari hæc veritas opinio tantum, sed doctrina, cui non potest subesse falsum; ac proinde per eam tollitur, quin Reges sequi possint contrariam, id est, quin Reges possint Ecclesiam impedire in usu hujus potestatis, & teneantur impedimenta constituta observare, nisi Ecclesia ob majus bonum eis condescendat, dum videt legem suam in aliquibus locis non observari. An autem etiam ipsi Reges possint statuere impedimenta, est alia quæstio, inferius decidenda.

31. Nunc satisfacere oportet alijs argumentis superius ex adverso adductis. Atque in primis, certum est, contractum Matrimoniale esse contractum humanum & civilem, qui, saltem inter infideles, realiter separatus existit à ratione Sacramenti; & ideo circa eum, sic separatam, disponit potestas civilis, & fortè Ec-

clesiastica non potest disponere, ut statim videbimus: at verò inter fideles nunquam existit realiter separatus, ut plurimi docent, aut saltem non licitè, ita ut ex institutione Christi debeant fideles, contrahentes Matrimonium, velle conficere Sacramentum, quod satis est, ut Pontifex circa eum possit disponere, etiam dum per malitiam contrahentium non est Sacramentum; quia saltem debet esse Sacramentum; jam autem ratio Sacramenti, tamquam dignior, trahit ad se formalitatem contractus, tamquam minus dignam; & ideo, si fideles attentarent separare rationem contractus à formalitate Sacramenti, non dubium quin per Ecclesiam possent puniri.

Nunquid simile aliquid reperitur in materiis aliorum Sacramentorum, aqua v. g. oleo, pane, vino? Nónne hoc ipso quòd existunt, sunt tota aut partialis materia Sacramenti, aut necessariò debent esse, veluti contractus Matrimonialis, hoc ipso quòd existit inter fideles, est aut saltem debet esse Sacramentum? Nihil manifestius, quàm oppositum.

Præterea: quis disposuit, panem debere esse azimum, ut licitè consecratur in Ecclesia latina? Nunquid Reges & Principes sæculares? Quid evidentiùs quàm Ecclesiam id disposuisse?

Putasne Ecclesiam non posse prohibere certam speciem vini, ne in ea fiat consecratio? Quis præscripsit modum benedicendi Oleum infirmorum? & oleum Confirmationis? Nónne Ecclesia? Cur ergo similiter non poterit disponere circa contractum Matrimonij, ut tali vel tali tempore fiat, inter has aut illas personas?

Si dixeris; inde tantum sequitur, quòd Ecclesia possit prohibere Matrimonium, secus irritare; sicuti non potest irritare consecrationem in pane fermentato, ut vino alterius speciei.

32. Respondeo, disparitatem esse; quòd Christus pro materia Eucharistiæ instituerit verum panem, & verum vinum; jam autem panis fermentatus, est verus panis, & vinum alterius speciei, verum vinum; & ideo sive Ecclesia, sive Princeps sæcularis non potest irritare consecrationem, nisi per suum præceptum destruat substantiam panis & vini; quod impossibile est, quia præceptum non est, nisi actus voluntatis præcipientis, à quo sicuti non dependet substantia panis & vini in suo fieri, ita nec in suo consecrari; ut minus manifestum est.

At verò Christus instituit, seu potius elevavit legitimum contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti; hic autem contractus in suo fieri dependet à voluntate Superioris, nõ minus, quàm alij contractus civiles, qui recipiunt non solum legem prohibentem, sed etiã irritantem; non in quantum sunt aliquid physicum, sic enim dependent à solâ voluntate contrahentium; sed in quantum sunt ens aliquod morale, id est, in quantum inducunt mutuum obligationem; contractus quippe definitur: *utroque oblatio*, l. Labeo, 19. *Quid sit cõff. tractus.*

32. *Aqua hoc ipso quòd existit, est aut debet esse materia Baptismi.*

33. *Ecclesia disposuit panem in Euchar. debere esse azimum.*

33. *Obiectio.*

Solvitur.

ff. de Verb. signif. five : Signum externum practicum, ulro citroque obligationem ex consensu contrahentium pariens.

34. Obligatio eius dependet etiam a voluntate superioris.

Quæ utique obligatio, cum sit ens aliquod morale, in suo fieri dependet, non tantum ex voluntate contrahentium, sed etiam ex voluntate Superioris contrahentium; ita ut si Superior nolit talem contractum valere, quidquid contrahentes intendant, contractus nullam inducat obligationem, & per consequens non fit verus contractus. Quid ergo mirum, si non fit Sacramentum?

Interim, ut superius adhuc diximus, nec Ecclesia, nec Princeps sæcularis potest facere, ut, si verus & validus sit contractus inter fideles, non sit etiam Sacramentum. Atque in hoc est paritas inter hoc Sacramentum, & alia supra adducta. Tota proinde disparitas oritur ex parte contractus, qui, sicut antequam elevaretur ad dignitatem Sacramenti, subiectus erat legibus humanis, instar aliorum contractuum, ita & modò est. Sed quoniam hodie Sacramentum est, cum antea non esset Sacramentum, idè jam subicitur legibus Ecclesiasticis, tamquam res sacra, cum antea non foret subiectus, tamquam res omninò profana & civilis. Et quamvis aliquando fieri posset, ut non esset Sacramentum, defectu intentionis, equidem esse deberet, & sic meritò etiam in eo casu manet legibus Ecclesiæ subiectus.

Quare Matr. hodie sit subiectus legibus Ecclesiæ.

35. Obiectio.

Restat adhuc una obiectio: Potestas civilis nil disponere potest circa Sacramentum Matrimonij, licet sit simul contractus civilis: ergo nec potestas Ecclesiastica disponere quidquam potest circa contractum Matrimonij, licet simul sit Sacramentum. Patet Consequentia: quia utrobique est eadem respectiva potestatum & materiarum distantia. Dicendum itaque est, utramlibet potestatem circa solam rationem formalem sibi correspondentem agere, ac disponere validè ac licitè posse; nec valere legem alterutrius potestatis, quatenus transilientis eos limites, nisi ex conniventia & suffragio potestatis alterius.

36. Solvitur. Esparza.

Respondet Esparza sup. art. 6. ad 4. Causa superior potest virtute suâ attingere effectus causarum inferiorum; tamen eadem causæ inferiores attingere similiter nequaquam possunt effectus proprios & peculiare causæ superioris. Potestas autem humana, supernaturaliter elevata à Deo, eo ipso constituitur in ordine superiori respectu potestatis humanæ purè naturalis, & non similiter elevata à Deo. Mirum igitur non est, quòd Ecclesiastica potestas possit legibus suis dirigere operationem, quâ simul ac indivisim perficitur & contractus & Sacramentum; atque potestas sæcularis ad id ipsum minimè sufficiat. Hæc ille.

Verùm (reponit quispiam) hoc est quod quæritur, an potestas sæcularis ad id ipsum minimè sufficiat, five, an id competat Ecclesiasticæ potestati privatè ad potestatem civilem. Et verò satis multi docent, non compe-

tere soli Ecclesiæ, sed etiam Principi sæculari ex natura suæ potestatis, aliis oppositum assentibus.

Quid ego sentiam, aperiã sequenti Conclus. si præmifero, potestatem Ecclesiæ in hac materia, non extendere se ad infideles. Quoniam (inquit Sanchez lib. 7. disp. 1. n. 3.) cum sint extra Ecclesiæ gremium, nullâ jurisdictione in eos gaudet; atque idè constitutionibus Pontificiis minimè arctantur, ut fatetur expressè Innoc. 3. c. Gaudemus, De divortijs; adducto Pauli testimonio 1. ad Corinth. 5. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?

37. Potestas Ecclesiæ nõ extendit se ad infideles. Sanchez.

Hæc sunt verba Pontificis ad quæstionem: *Probatum Vtrum Pagani uxores accipientes, in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam in simul remanere, vel ab invicem separari? Super quo taliter respondemus, quòd cum Sacramentum conjugij apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens: Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat: & in præmissis gradibus (scilicet ab Ecclesia prohibitis) à Paganis quoad eos Matrimonium licitè sit contractum, qui constitutionibus Canonici non arctantur (quid enim ad nos, secundum Apostolum eundem, de his quæ foris sunt judicare?) in favorem &c.*

ex cap. 8. de Divort.

Vbi Gloss. Verb. Constitutionibus, inquit: *Quæ non arctant, nisi illos, qui subsunt Ecclesiæ directè: sed indirectè benè compelluntur, inf. de Vfur. Post miserabilem.*

38.

Igitur infideles non arctantur directè legibus Pontificiis, five prohibentibus, five dirimentibus Matrimonium, in quantum tales sunt, id est, in quantum latæ à Pontifice tamquam supremo Principe Ecclesiæ in spiritualibus. Alioquin posset Pontifex, tamquam Princeps temporalis, præscribere impedimenta Matrimonij infidelibus, sibi temporaliter subiectis, eodem modo, quo alij Principes temporales queunt id facere, ut jam edissero.

Infideles nõ arctantur directè legibus Pontificiis quæ tales.

CONCLUSIO III.

Princeps sæcularis statuit impedimenta Matrimonij pro infidelibus. Possit statuere pro fidelibus, nisi Pontifex sibi illa reservasset.

PRima pars est communis, & ratio in promptu est, quia, ut dictum fuit, illa impedimenta non sunt aliud, quàm leges prohibentes vel irritantes Matrimonium; veluti ergo infidelibus, sibi subiectis, potest prohibere alios contractus civiles, eosque irritare; quid ni etiam possit eis prohibere contractum Matrimonij, eumque irritare? Non dubito quin

39. Probatum 1. pars Conclus.

quin possit. Quippe contractus Matrimonij inter infideles purè civilis est & humanus, cum non sit Sacramentum, ut suppono; ergò sequitur naturam aliorum contractuum, saltem quoad prohibitionem & irrationem, vel assignetur ratio disparitatis.

Contractus Matrimonij institutus est in officium & beneficium communitatis.

Enimverò institutus est non solum in naturæ officium, sed etiam in officium & beneficium communitatis, ad ejus videlicet propagationem; & sæpè potest contingere, ut sit necessarium, aut certè valde expediens pro bono communi, ut hic & nunc talis contractus prohibeatur, aut etiam irritetur. Censeatur autem Princeps sæcularis habere omnem potestatem, quæ necessaria est pro bono regimine suæ communitatis circa res temporales; imò & spirituales. respectu eorum, qui non habent alium Superiorem, prout sunt infideles, id est, non Baptizati, qui non agnoscunt Ecclesiam.

40. *Concussio intelligitur etiam de Principe fideli. Abulensis.*

Atque hoc magis verum est, intellectum de Principe sæculari infideli: nam Abulensis in 1. Reg. 8. q. 178. cum paucis alijs videtur dicere, infideles, qui Christianis Principibus subduntur, accipere impedimenta Matrimonij per Ecclesiam; sed nullam invenio apud Abul. hujus doctrinæ probationem, & opposita sententia est communis, à qua proinde non oportet recedere.

Vel ergò illi infideles nullis legibus Matrimonialibus obligantur, sed solo jure naturæ; vel certè obligantur legibus Principis sui sæcularis, etsi Christiani. Nisi aliquis nobis ostenderit, ubi legibus Ecclesiæ inhibeat eujusmodi Principi, quò minus possit circa infideles, sibi subditos, quidquid in hac materia potest Princeps infidelis.

41. *Probatio.*

Profectò non apparet ulla ratio, quare Ecclesia inhibuisset Principi Christiano potius statuere leges, prohibentes aut irritantes Matrimonia infidelium, quàm prohibentes aut irritantes alios inter ipsos contractus, verb. g. emptionem, venditionem, donationem &c. Siquidem Matrimonia, perinde ut reliqui contractus, in commune bonum ordinantur, ut sup. dixi.

Ergò sicuti Princeps, tam fidelis, quàm infidelis, potest statuere, ne valeat propriorum bonorum alienatio ab infidelibus facta, nisi sub certa forma, & à personis habilibus; ita etiam poterit lege statuere, ne valeat traditio sui, nisi facta sub certa forma, & à personis habilibus. Quæ enim disparitas?

42. *Matrimonia infidelium contracta contra legem irritantem Principis secularis, nulla sunt. Pontius.*

Hinc sequitur: Matrimonium contractum ab infidelibus contra leges dirimentes, à suis Principibus latas, nullum esse; ac proinde cum ad fidem venerint, vel iterum renovandum est juxta Ecclesiæ leges, vel separandi sunt. Quodnam autem sit inter illos dirimens impedimentum, id ex usu (inquit Pontius lib. 6. c. 1. n. 3.) & consuetudine apud illos recepta, petendum est.

43. *An hæc*

Sed nunquid jam dicta extendenda etiam ad Hebræos? Affirmat Balilius mox citatus

ibid. n. 4. Cum enim isti (inquit) veram remp. etiam extendenda ad Hebræos? Affirmat Pontius.

non habeant, sed aliorum Principum gubernationi subjiciantur, tenentur legibus irritantibus Matrimonium, quas Principes infideles tulerint, quorum dominio subduntur. Leges enim eorum ceremoniales cessarunt Christi morte.

Limitatio.

Quod intellige, nisi Principes infideles, quorum dominio subduntur, illis copiam fecerint, patrijs legibus utendi, atque secundum illas vivendi; in eo enim casu, non quia ipsorum Hebræorum leges sunt, sed quia ab ipsorum Principibus approbantur, aut permittuntur, vim habent. De Hebræis autem subditis Principi fideli, idem, quod de alijs infidelibus, eidem Principi subjectis, dicam illatione sequenti, judicandum erit. Hæc ille.

44.

Rogas, quid dicat illatione sequenti. Respondet: quod nos jam diximus: scilicet Principes fideles sæculares posse leges validas constituitur circa impedimenta Matrimonij, quibus teneantur infideles, subjecti eorum ditioni & imperio. Idem docet Sanchez lib. 7. disp. 3. num. 8.

In dubio de valore Matr. infidelium judex competens est solus Princeps secularis, ex Sanchez & Pontio.

Ex quo n. 9. hic Auctor deducit: si infideles Principibus Christianis subjecti, velint Matrimonium inter se inire, & opponatur impedimentum, aut contendatur Matrimonium semel ininitum esse invalidum, aut divortium petant ratione adulterij aut sævitie, nullo modo esse judicem Ecclesiasticum adeundum, sed solum sæcularem esse competentem. Quia is contractus est merè temporalis, & jurisdictionis sæcularis, nec infideles jurisdictioni Ecclesiasticæ subfunt. Hæc ille. Quem sequitur Pontius sup. n. 6.

Sed quid dicendum, si alter eorum ad fidem convertatur, & lis de Matrimonio intercedat? Actor (inquit Sanchez sup.) debet sequi forum Rei, ac proinde si infidelis agat ad divortium, vel ad nullitatem Matrimonij, debet convenire fidelem coram judice Ecclesiastico, qui in causa Matrimonij est judex fidelium.

45. *Quid si alter eorum ad fidem convertatur? doctrina Sanchez.*

Si verò fidelis sit actor, debet infidelem convenire coram judice sæculari, qui est ejus judex. Cum semper actor forum Rei sequatur, cap. Si Clericus 5. de Foro compet. ibi: Cum actor forum Rei sequi debeat. Et cap. 8. eod. Cum sit generale, ut actor forum Rei sequatur.

Quòd si neuter agat, sed quidam tertius id Matrimonium denuntiet fuisse nullum, existimo solum judicem Ecclesiasticum esse competentem. Quia dignius debet trahere ad se minus dignum, l. 43. ff. de Rei vindic. Quæ religiosi adherent, religiosi sunt. At constat, dignius esse Matrimonium ex parte fidelis, in quo esse quoddam spirituale habet. Ita Sanchez.

Sed hæc doctrina non placet Pontio: Ego (inquit sup.) existimo in primis, non posse intervenire casum, in quo infidelis sit reus, si lis moveatur super constantiâ Matrimonij, & perseverantiâ in illo. Nam aut non vult cohabitare,

46. *Non placet Pontio.*

bitare, & tunc cessat controversia; Matrimonium enim solvitur jure divino. Aut vult cohabitare, sed fidelis renuit, vel contendit non fuisse Matrimonium, aut separandos ex aliqua justa divortij causa; & tunc fidelis reus est actor infidelis. In eo autem casu existimo, causam examinandam esse coram sæculari iudice.

Ratio est meo iudicio manifesta: quia non eo ipso, quo infidelis convertitur, Matrimonium prius contractum fit Sacramentum. Semper ergo manet in ratione civilis contractus. Quare sicut, si controversia moveretur inter infidelem & fidelem conversum super contractu aliquo, inito tempore infidelitatis, cum uterque subditus erat sæculari Principi, & in materia etiam pertinente ad forum illius, coram eodem causa examinari deberet; sic etiam in proposito iudicandum est. Hactenus Pontius.

Interrogas, quid ego sentiam? Respondeo: posse intervenire casum, in quo infidelis sit reus: nam per hoc, quod nolit cohabitare, non cessat illico controversia, non enim hoc ipso jure divino dissolvitur Matrimonium, sed tantum datur jus dissolvendi per secundum Matrimonium, ut diffusè ostendimus disputatione præcedenti Sect. fin. Conclus. 3. Ergo poterit adhuc fidelis agere contra infidelem pro dissolutione Matrimonij independentè à cohabitatione, vel non cohabitatione, utpote quia nolit secundum Matrimonium contrahere, & interim liber esse à vinculo prioris Matrimonij, ne fortè, si infidelis convertatur, teneatur eum recipere.

An autem, dum fidelis est reus, causa examinanda sit coram iudice Ecclesiastico, eò quod actor sequi debeat forum Rei, dubito. Et quidem in sententia, quæ diceret, per conversionem infidelis, Matrimonium prius contractum fieri Sacramentum, videtur affirmativè respondendum: quia eo ipso Matrimonium prius contractum eximitur à potestate sæculari, eò quod jam sit res sacra, de qua nequit cognoscere Princeps sæcularis; adeoque respectu talis contractus, forum Rei jam est forum Ecclesiasticum; licet enim Reus non sit persona Ecclesiastica, sed sæcularis; res tamen de qua agitur, est Ecclesiastica, & ideo infidelis actor debet sequi illud forum, tamquam forum Rei.

Sin autem per conversionem fidelis, non fiat prius Matrimonium Sacramentum, neque quoddam esse spirituale in eo habeat, sed maneat contractus merè civilis, tunc existimo cum Pontio, causam examinandam esse coram iudice sæculari, uti causa alterius contractus civilis. Nec obstat: quod actor debeat sequi forum Rei; quia per conversionem, fidelis non accipit aliud forum respectu illius Matrimonij, quam antea habebat, exemplo aliorum contractuum civilium.

Sed pergamus ad alia, & videamus Primò; an sicut pro infidelibus, ita etiam pro fidelibus Princeps sæcularis possit statuere impedimenta Matrimonij. Affirmat Conclusio, nisi obstat reservatio Pontificia, id est, omnis Legislator per se loquendo potest statuere impedimenta

Matrimonij pro fidelibus sibi subiectis. Per se, inquam, loquendo, hoc est ex genere & natura suæ potestatis.

Ratio in principio Conclus. assignata fuit; quia hæc impedimenta nihil aliud sunt, quam leges prohibentes vel irritantes; sicut ergo potest prohibere vel irritare alios contractus civiles inter fideles, secundum quod bonum commune exigit, ut suppono ex tract. de Legibus; sic itidem Matrimonium, in quantum est contractus aliquis civilis, à quo maximè pendet tranquillitas, & recta Reip. gubernatio, ad quam tranquillitatem potissimum potestas legislativa est instituta.

Atque ideo hæc sententiam docet Sanchez sup. disp. 3. n. 2. ubi sic ait: Ceterum absque dubio dicendum est, posse Principem sæcularem, ex genere & natura suæ potestatis, Matrimonij impedimenta dirementia fidelibus subditis ex justa causa suis legibus indicare, eo pacto, quo id Pontifex summus potest, nisi sibi hanc potestatem reservasset. Hæc ille.

Et post pauca subdit: Quare egregiè D. Tho. 4. contra Gentes c. 78. & 4. dist. 34 q. un. a. 1. ad 4. dixit: Matrimonium in quantum contractum civilem, in officium communitatis institutum, subjacere legis civilis ordinationi.

Nec obstat Principis sæcularis potestati, Matrimonium esse Sacramentum. Quia ejus materia est contractus civilis, quæ ratione perinde potest illud ex causa justa irritare, ac si Sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, & sic illegitimum & invalidum contractum. Si enim nudam Sacramenti rationem attendamus nec Pontifex circa illud disponere posset, illud dissolvens, ejusque potestas ex ratione contractus humani, qui est materia hujus Sacramenti, confurgit. Hactenus Sanchez citans utique D. Tho. sup. dist. 34. & alios complures pro hac doctrina.

Quæ etiam nobis magis placet; quamvis non absque dubio, sed cum formidine de opposito, quod cum aliis, citatis à Sanchio sup. n. 1. docet Pontius sup. c. 2. n. 3. dicens: Nequaquam potest Princeps sæcularis fidelis legem aliquam statuere ad substantiam Matrimonij directè vel indirectè pertinentem, quæ vim habeat, nisi ab Ecclesia tacitè vel expressè probetur, ex defectu potestatis.

Movetur autem hic Auctor ea tantum consideratione; quia (inquit) Matrimonium, quamvis ex se contractus quidam sit, subiectus etiam Principi sæculari, attamen per Christi institutionem, elevatum est ad rationem Sacramenti. Itaque res sacra est. Ergo non subditur ex eo tempore potestati Principis sæcularis, etiam fidelis. Quod enim materia hujus Sacramenti contractus sit, non satis est, ut possit Princeps sæcularis leges condere, cum ex quo ea materia per Christum sacra facta est, jam extra ejus jurisdictionem, & potestatem sit.

Sicut licet homo ante Ordinationem sit materia subiecta jurisdictioni sæculari, & similiter bona alia & prædia; attamen post Ordinationem

Probat.

50.
Est sententia Sanchez.

D. Thom.

51.
Occurrit objectioni.

Oppositum docet Pontius.

52.
Ratio ejus.

Simile.

Ob hanc rationem.

47.
Iudicium Auctoris.

48.
Dubitatur an quando fidelis est reus, causa Matr. pertineat ad iudicem Ecclesiasticum.

Objectioni diluuntur.

49.
Princeps sæcularis potest ponere impedimenta etiam pro fidelibus.

nem, vel postquam donatione, sacra vel Ecclesiastica facta sunt, extrahuntur à Dominio sæcularis Principis, & nullam neque in personas, neque in bona jurisdictionem habet. Sic ergo & in nostro casu dicendum est, postquam Matrimonio accessit ratio Sacramenti.

53. *Alii probatio.*
Præterea: si Matrimonium, etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subiectum esset Principum sæcularium dispositioni, nequaquam in vitis Principibus fidelibus, posset Ecclesia ab illis auferre eam potestatem leges condendi, & sibi reservare. Quo enim jure id possit? Sicut neque hominem, subditum sæculari Principi, posset Pontifex eximere à jurisdictione illius; neque interdiceret etiam, ne circa alios contractus leges statueret. Quare nisi eam potestate abuterentur Principes, & aliquid statuerent, quod spirituales Sacramenti Matrimonij rationem læderet, non possent à Pontifice pro indirecta potestate, quam habet in temporalia, coerceri.

Quare rectè & consequenter Petrus Soto lect. 4. de Matri. in fine, cum falsò existimaret, eam potestatem habere Principes sæculares, docuit, leges civiles, ex pietate quadam, cessisse in hac parte legibus Pontificiis; atque adeò hodie etiam, si vellent, posse statuere leges irritantes contractum Matrimonij. Et meritò quidem, falsò illo principio admisso, docuit, non esse penes Pontificem potestatem, prohibendi sæcularibus Principibus, ne leges ferant irritantes, quæ Matrimonium irritent, & nullum omnino reddant. Usque adhuc Pontius.

54. *Rejicitur doctrina Pontij, & Soto.*
Sed immeritò & ipse & Soto; etiam admisso illo principio, non falso, sed vero, ut jam ostendo ex refutatione ejus considerationis, quæ solà motus fuit Pontius ad sequendum oppositum nostræ Conclus. quæque reverà levior est fundamentis, quibus motus fuit Sanchius, ad tenendam nostram Conclus. (quæ tamen Pontius sup. vocat levissima) maximè juxtà suam sententiam, quæ lib. 1. c. 9. n. 3. existimat probabilis, rationem contractus separari posse à ratione Sacramenti, etiam inter fideles.

55. *Subvertitur fundamentum Pontij.*
Fateor itaque contractum Matrimonij rem sacram esse inter fideles, utpote Sacramentum, nisi obstat intentio contrahentium: sed nunquid ideò desinit esse contractus civilis & humanus? Nonne calix consecratus est res sacra? Nemo dubitat. Num ideò perdidit æstimationem pretij temporalis, quam ante consecrationem habebat? Minimè sed vendi potest eodem pretio, non habito respectu ad hoc, quòd sit consecratus; nisi per legem humanam talis venditio ob reverentiam rei sacræ prohibeatur. Ita ergo impræsentiarum, nisi ob reverentiam Sacramenti auferatur Legislatori sæculari vel Ecclesiastico sua potestas, poterit hic disponere de contractu illo humano, qui est substratum Sacramenti.

55. *Dicastillo sequitur Sanchium.*
Audiamus Dicastillonem hic disp. 7. n. 15. Tota, inquit, ratio sacri aut Sacramenti nititur ipsi contractui humano & civili, illumque supponit, non mutatà illius naturam & conditio-

ne. Quòd autem superveniat hæc ratio sacri aut Sacramenti, sufficit quidem, ut Ecclesia merito sibi reservet hujus contractus cognitionem; non tamen ut ex natura rei seclusà Ecclesiæ reservatione, non possit Princeps de tali re, tamquam de contractu, judicare; sicut non ex eo, quòd calix v. g. consecratus susceperit consecrationem, cadentem supra materiam vendibilem auream vel argenteam, desinit esse materia ipsa vendibilis contractu humano, sicut & ipse etiam valor cælaturæ; quidquid sit, an Ecclesia possit prohibere, ne talis materia, sic consecrata, quoad emptionem & venditionem subiaceat iudicibus sæcularibus.

Et sicut nulla fit ex natura rei irreverentia rei sacræ alioqui pretio æstimabili, si vendatur non quatenus sacra, sed quatenus pretio æstimabilis (nisi fortè Ecclesiæ decreto prohibeatur fieri in ea re contractus) ita similiter nulla fiet irreverentia ex natura rei, aut aliqua alia injuria, si contractus Matrimonij baptizatorum, non quatenus sacer & Sacramentum, sed quatenus contractus humanus, & civilis subiciatur Principi. Hactenus præfatus Auctor.

Hanc difficultatem prævidit Esparza de Sacram. q. 115. dicens n. 3. Panis & vinum, tametsi ex institutione Christi sint materia Sacramenti Eucharistiæ, subsunt nihilominus legibus civilibus; exque ipsarum taxatione pretia illorum dependent, & emptio atque venditio, sic vel aliter facta, valida ac invalida constituitur. Contractus autem Matrimonij est materia Sacramenti Matrimonij, sicut panis & vinum Eucharistiæ. Ergo simili ratione is contractus iisdem legibus subest.

Confirmatur: quia calix consecratus ejusque cælatura venduntur pretio taxato per leges civiles; atque voces, quibus constant formæ Sacramentorum, ipsaque Sacramenta intrinsicè constituuntur, possunt mutare significationem, omnemque vim significandi amittere, dependenter à lege & voluntate Principis sæcularis. Ergo idem eadem ratione dicendum de contractu Matrimonij. Hæc ille.

57. *Resp. ejusdem Auctoris.*
Respondet autem art. 5. ad 3. Panis & vinum, antequam consecrentur, sunt res adæquate naturales in se intrinsicè, & distinguuntur totaliter re ipsa ab omni prædicato spirituali ac supernaturali. Similiter calix qui est consecratus, est adæquate naturalis in se intrinsicè, atque consecratio est pura denominatio extrinseca ipsi secundum se. Voces etiam, quibus confici potest Sacramentum, antequam hoc illis perficiatur atque constituatur, sunt adæquate naturales simul cum sua significatione, & utrobique datur capacitas ad usus purè naturales. Contractus autem Matrimoniales inter fideles nunquam est, nunquam esse potest purè naturalis, sed est simul essentialiter Sacramentum. Nulla igitur est paritas. Ita Esparza.

58. *Adhuc sententia Pontij.*
Qui ibidè ad 5. art. 2. sic ait: Assentiri iis Auctoribus minimè possum, qui dicunt Principibus sæcularibus, sive fidelibus, sive infidelibus, inesse ex natura rei potestatem ferendi leges & inducendi impe-

Ex natura rei non fit irreverentia Sacramenti Matr. si contractus subiciatur Principi.

56. *Arg. pro sententia Sanchij, ex Esparza.*

Confirmatio.

Resp. ejusdem Auctoris.

Adhuc sententia Pontij.

impe-

impedimenta dirimentia circa contractus Matrimoniales, qui sunt simul Sacramenta, atque solâ auctoritate Conciliorum & Pontificum sublatam illis esse talem potestatem. Oppositum enim apparet ex omnibus hucusque dictis in tota quaestione: jure nimirum Divino sublata esse Principibus sæcularibus potestatem legislativam circa contractus Matrimoniales fidelium secundum se; subtracta verò est indirectè per subtractionem materiæ. Quia Principes sæculares, sive fideles, sive infideles essent, nunquam habere potestatem legislativam circa contractus, præterquam purè naturales secundum suum conceptum adæquatum. Factâ autem institutione Sacramenti Matrimonij, non sunt amplius possibiles contractus Matrimoniales purè naturales, purèque civiles inter fideles.

Evanuit itaque eatenus materia potestatis & jurisdictionis purè naturalis, purèque civilis. Ad eum utique modum, quo per consecrationem panis & vini evanescit materia subiecta eidem potestati, nec datur amplius in rerum natura. Quapropter non rectè accommodatur rei præfenti illud Christi Domini: *Quæ sunt Cæsaris Cæsari*; quia contractus, qui simul est Sacramentum, non est Cæsaris, nec unquam fuit.

Deinde (prosequitur idem Auctor) non apparet quo pacto Pontifices potuissent auferre ejusmodi potestatem Principibus sæcularibus absque ipsorum consensu; nec est facilè credibile, consensuros ipsos fuisse, ut privarentur tantò momenti potestate, cum prærogativas multò leviores soleant mordicis tueri atque retinere pertinacissimè.

Dicendum itaque est, jure divino, exque ipsa natura rei deesse Principibus sæcularibus, tam infidelibus, quam fidelibus, potestatem legislativam circa contractus Matrimoniales fidelium, seu circa contractus, qui simul habent rationem Sacramenti. Hactenus Esparza.

Et occurrens cuidam objectioni, ait: Nec propterea lex Evangelica est absolute nociva respectu Principum; quandoquidem subrogata est facultas, ut ipsi quoque Principes Sacramentaliter contrahant, & lucentur gratiam contrahendo, datique sunt eisdem subditi conjugati, ratione ejusdem gratiæ perfectiores ac meliores; meliusque proinde satisfacturi obligationibus, etiam civilibus, erga eosdem Principes & Remp. Ac denum ea potestas legislativa translata est ad Pontifices, consulturos melius utilitati Reip. pro tua majori, saltem ut plurimum, religiofitate, probitate, & prudentiâ. Hæc ille.

Bene optimè pro sua opinione, & melius quam Pontius, qui, ut sup. dixi, admittit rationem Sacramenti realiter esse separabilem à ratione contractus, etiam inter fideles, quod hic Auctor pro viribus negat ibid. q. 114. Et quoniam nos cum Pontio admittimus illam separabilitatem, & negamus inseparabilitatem, quæ est unicum & totale fundamentum Esparzæ, ut patet ex dictis, jam pienè satisfactum est omnibus ejus argumentis.

Sed esto, admittamus cum Esparza & aliis

multis Auctoribus, ut suo loco vidimus, eam inseparabilitatem, adhuc perfistimus in sententia Sanchij, qui & ipse admittit illam inseparabilitatem lib. 2. disp. 10. n. 6. Oportet igitur ut satisfaciamus tam argumentis Pontij, quam Esparzæ, quæ eadem prorsus sunt, eo excepto, quòd, ut mox diximus, apud Pontium contractus Matrimonij inter fideles possit aliquando esse purè naturalis, secus apud Esparzam; Et ita magis urget exemplum calicis consecrati, sup. ex Dicastillone adductum, contra Pontium, quàm contra Esparzam, ut patet ex responso Esparzæ sup. ad dictum exemplum.

Interim dico; etiam in sententia Esparzæ adhuc esse aliquam paritatem, & quidem sufficientem ad nostrum propositum. Siquidem, quòd contractus Matrimonialis sit Sacramentum, est planè extrinsecum ipsi secundum se, ut patet in infidelibus, inter quos invenitur ille Contractus absque ratione Sacramenti; & ante legem novam etiam inveniebatur inter fideles absque ulla sanctitate.

Dicere autem, in lege nova non invenitur, non satisfacit; quippe etiam non invenitur calix consecratus in sensu composito, id est, manens consecratus, absque aliqua sanctitate; & tamen illa non officit, quin circa materiam istius calicis, per se loquendo, Princeps sæcularis possit leges constituere, v. g. taxare ejus pretium.

Ergo etiam non officit potestati seculari, quòd contractus Matrimonialis in lege nova inter fideles necessariò sit Sacramentum; quia contractus Matrimonialis est adæquatè naturalis in se intrinsecè, ratio autem Sacramenti est ipsi secundum se extrinseca. Quoniam contractus Matrimonialis qui non est Sacramentum, & qui est Sacramentum, ejusdem planè naturæ sunt intrinsecè secundum se; nam constant eadem materiâ & formâ essentiali; quòd enim hi contrahentes sint Baptizati, illi autem non, nihil ponit intrinsecum ipsi contractui secundum se; cum sine Baptismo essentialiter subsistat. Similiter, quòd Christus elevaverit illum contractum ad dignitatem Sacramenti, non mutat ejus naturam intrinsecam, ut non semel dictum fuit; non enim propterea requirit aliam materiam aut formam essentialem.

Igitur aliqua paritas est inter contractum Matrimoniale fidelium, & calicem consecratum, quæ sufficiens est, ut sicut potestas sæcularis potest disponere de calice consecrato, ita quoque possit disponere de valore Sacramenti Matrimonij, nisi aliquid aliud obstat, id est, nisi per superiorem potestatem impediatur.

Et verò potestas Ecclesiastica nonne superior est potestate civili, & potest abrogare & corrigere leges ejus, quando id expedit bono communi Ecclesiæ & saluti animarum? Nemo Catholicorum dubitat. Quia ergo expediebat bono communi Ecclesiæ & saluti animarum, ut esset uniformitas circa leges Matrimonij prohibentes, vel etiam irritantes, idè Ecclesia illam potestatem sibi reservavit, ne in diversis Regionibus & Provincijs diversæ forent leges, ex

59. *Potest per institutionem Sacram. evanuisse materiam potestatis naturalis.*

60. *Ac proinde jure divino deesse Principibus potestatem.*

Occurrit cuidam objectioni.

61. *Idem Auctor negat rationem contractus posse separari à ratione Sacramenti inter fideles.*

Ergo satis admisso ad

huc præfertur sententia Sanchij.

62. *Ostenditur paritas inter Matr. & calicem consecratum.*

93.

Matrimonium Sacramentum, & non Sacramentum sunt ejusdem naturæ secundum se.

64. *Potestas Ecclesiastica potest corrigere leges civiles.*

quibus non pauca nata essent provenire inconvenientia, propter earum ignorantiam.

Pontifex potuit auferre Principibus potestatem circa Matr.
Ac sic apparet, quo pacto Pontifices poterint auferre huiusmodi potestatem Principibus sæcularibus, absque ipsorum consensu; & credibile satis est, ipsos libentissimè consensisse, ut privarentur potestate tanti momenti, videntes illam privationem necessariam pro bono communi Ecclesiæ, & probè scientes, potestatem civilem subordinatam esse potestati Ecclesiasticæ in his, quæ spectant ad regimen & salutem animarum, veluti spectant Sacramenta Ecclesiæ.

65. *Per elevationem Matr. ad dignitatem Sacr. non evanuit materia potestatis sæcularis.*
Ostenditur etiam, quomodo per elevationem contractus Matrimonialis ad dignitatem Sacramenti, non evanuerit materia potestatis & jurisdictionis sæcularis, ad eum modum, quo per consecrationem panis & vini evanescit materia subiecta eidem potestati. Siquidem, non obstante ratione Sacramenti, permanet essentia & substantia contractus Matrimonialis, quæ antea erat. Unde contractus Matrimonialis, qui est Sacramentum, secundum adæquatum suum & essentiæ conceptum, est purè naturalis, etsi quæ Sacramentum in suo conceptu involvat aliquid supernaturale, in quod supernaturale Princeps sæcularis nullam habet potestatem, etiam per se loquendo.

Sed nunquid etiam manent substantiæ panis & vini post consecrationem? Planè evanescunt, secundum fidem Catholicam, nec dantur amplius in rerum natura, remanentibus dumtaxat speciebus; quæ licet entitative naturales sint, atque retineant totam priorem activitatem naturalem; supernaturaliter tamen existunt, & ideo non subsunt amplius legi ulli civili, quoad pretium, conservationem, consumptionem &c.

66. *Matr. sic elevatum non evanuit supernaturaliter.*
Censet autem, quòd etiam Matrimonium supernaturaliter existat, postquam elevatum est ad dignitatem Sacramenti? Non censo, inquis; sed habet effectum supernaturalem, id est, causat gratiam sanctificantem, quam priùs non causabat.

Habet effectum supernaturalem.
Prorsus sic est, sed quid tum? Ergo per illam elevationem evanuit substantia Matrimonij, sicut per consecrationem evanescit substantia panis & vini. Qualis Consequentia? Immo nisi permansisset substantia contractus, jam nullum foret Sacramentum Matrimonij, ut clarum est.

67. *De eo non potest disponere Princeps.*
Quòd autem jam habeat effectum supernaturalem, quem antea non habebat, quid inde? Inde tantum sequitur quòd potestas sæcularis, supposito Sacramento, non possit disponere de effectu illo supernaturali, seu de causalitate morali illius effectus. Nonne etiam aqua Baptismi habet causalitatem moralem effectus supernaturalis? Quis propterea negat Principem sæcularem posse de ea aqua disponere? Quis propterea dicit, substantiam aquæ illius evanescere, quando per applicationem sive ablutionem fit materia Sacramenti Baptismi? Immo nisi in ablutione permaneret substantia aquæ, non foret materia apta Baptismi.

Substantia aqua baptismalis non evanescit.

Tantum differentia est (superiùs à nobis innuata) quòd illa aqua possit non esse materia Baptismi, & per consequens non esse pars Sacramenti; contractus autem Matrimonialis non possit in sententia Esparzæ subistere inter fideles, nisi sit Sacramentum. Hoc autem nihil aliud est, quàm Deum separabiliter annexuisse rationem Sacramenti aquæ, inseparabiliter autem Matrimonio seu contractui Matrimoniali inter fideles. Ergo hæc contractus est essentialiter supernaturalis seu spiritualis; neg. Consequentia, sed extrinsecè dumtaxat, ut patet ex antedictis. Et ideo adhuc subest potestati sæculari, nisi per superiorem potestatem Ecclesiasticam, propter suam supernaturalitatem seu spiritualitatem, sibi conjunctam, ab ea eximatur.

68. *Differentia inter illam aquam & contractum Matr.*
Quid ergo, inquis, ad simile Pontij sup. de homine, qui post Ordinationem extrahitur à Dominio sæcularis Principis?

69. *Resp. ad simile Pontij.*
Respondeo: neque illam extractionem esse juris Divini, sed solum Ecclesiastici. Immo Clerici neque jure Ecclesiastico exempti sunt à legibus civilibus in materia morali communi, sed directè iis obligantur; adeoque non obstante, quòd sint personæ sacræ, Principes sæculares illis imperant. Tales leges sunt v. g. quæ prohibent noctu arma deferre, quæ statuunt pretia rerum, aut præscribunt formam contractibus, & similes, quæ Clericos non dedecent. Ergo post Ordinationem Principes sæculares habent aliquam jurisdictionem in personas ordinatas.

70. *Clerici exempti sunt à iudicijs sæcularibus solo jure Ecclesiastico.*
Porò à legibus judicialibus & tributariis exempti quidem sunt, sed, sicut dixi, solo jure Ecclesiastico, ut plurimi docent in Tractatu de Legibus, & possent diffusè probari, uti & subiectio in legibus moralibus; sed non sunt huius loci, ideo non immoror; sed tantum dico, hæc sententià supposita, simile Pontij planè concurrere, & potius probare Conclus. nostram, quàm improbare.

Nam sicut possibile est, Principem sæcularem ferre leges, directè obligantes Clericos seu personas sacræ, non in quantum sacræ sunt, sed in quantum sunt membra Reip. civilis; sic itidem possibile videtur, Principem sæcularem ferre legem, sive prohibentem, sive irritantem contractum Matrimoniale inter fideles, non quæ Sacramentum est, sed quatenus est contractus civilis.

71. *Potuit Pontifex sibi reservare impedimenta Matr. & de facto reservavit.*
Et veluti Ecclesia seu Pontifex Clericos, ratione Clericatus sibi specialiter subiectos, potuit eximere, & de facto eximit à legibus judicialibus & tributariis Principum sæcularium; sic pariter potuit eximere, & de facto eximit contractum Matrimoniale inter fideles, ratione dignitatis Sacramentalis sibi specialiter subiectum, à legibus prohibentibus & irritantibus Principum sæcularium; quod significatur in Conclusione hinc verbis: *Nisi Pontifex sibi soli illa (scilicet impedimenta Matrimonij inter fideles) reservasset.*

72. *Probatur reservatio ex C. 3. de Ord. cogn. in Ord. cogn.*
Solet autem hæc reservatio probari, ex eo in primis, quòd causæ Matrimoniales spectent ad iudices Ecclesiasticos; arg. c. 3. de Ord. cogn.

in principio: Tuam non credimus latere prudentiam, causam natalium Reginae Cypri ad examen nostrum (utpote quae ad forum Ecclesiasticum pertinet) esse delatam. Ita Honorius 3. Ludovico Regi Francorum.

Item ex C. 1. de Confang. ibi. *Ceterum tuam prudentiam volumus non latere, quod non sunt causae Matrimonij tractanda per quoslibet, sed per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, et statuta Canonum non ignorent.*

Omitto alia jura, quae communiter allegantur, & tamen prout jacent parum probant. Ecce definitio Concilij Tridentini sess. 24. de Matr. can. 12. sequentis tenoris. *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Sed quis hoc dicit? reponit quispiam: Omnes fatentur, causas Matrimoniales spectare ad iudices Ecclesiasticos; dubitant autem quidam, an propterea definitum sit, causas Matrimoniales spectare ad iudices Ecclesiasticos privative, id est, ad solos iudices Ecclesiasticos, cum alia multa sint mixti fori, id est, multa sint, quae ab utroque iudice, Ecclesiastico & saeculari possunt iudicari: & siquidem Matrimonium inter illa numerari debeat, liquet profecto, hanc probationem nullius esse momenti.

Ita porro (teste Diana part. 7. tract. 1. n. 2.) hoc Decret. Trid. intelligendum esse, asserit P. Rabardeus fol. 112. & seq. contra haereticos, docentes, causas Matrimoniales ad iudices Ecclesiasticos non spectare; quia negant, Matrimonium esse rem sacram.

Sed haec opinio (inquit Diana sup. n. 3.) prorsus est rejicienda: nam plures Haeretici etiam concedunt, causas Matrimoniales esse tractandas coram iudicibus Ecclesiasticis, quatenus Matrimonium est res sacra; asserunt tamen, quod, hoc non obstante, quatenus Matrimonium est contractus, ejus causae simul pertinent etiam ad iudices laicos, quod quidem est falsum. Ergo Concilium Tridentinum dicendum est, contra Haereticos determinasse absolute, & sine ulla distinctione, ut patet, causas Matrimoniales pertinere ad iudices Ecclesiasticos, non solum quatenus Matrimonium est Sacramentum, sed quatenus est etiam contractus naturalis. Quia licet Matrimonium, quatenus est contractus naturalis, ad civilem potestatem spectet, tamen propter elevationem ad esse Sacramentale, in rem sacram transiit: ergo ejus causae non possunt aliquo pacto etiam pertinere ad iudices laicos; sed absolute & sine ulla distinctione apud iudicem Ecclesiasticum determinandae sunt, ut firmavit Concilium Trident. & docent communiter Doctores.

Unde more suo Haeticus Harpprechtus in Justiniani Instit. to. 1. tit. de Patria potestate §. 230. n. 63. invenitur in Summos Pontifices, qui causas Matrimoniales ad solos iudices Ecclesiasticos transfulerint, non obstante, quod Matrimonium sit contractus civilis.

Confirmantur sup. dicta contra P. Rabardeum: nam quod una via denegatur, altera

permitti non debet, ex l. Nec per se, Cod. de Haered. instit. & docent DD. Ergo dicendum est, Principes laicos quoad substantialia Matrimonij nihil discernere posse, etiam considerando Matrimonium, ut contractum civilem, ne eis una via permittatur, quod altera denegatur; alioquin futilis esset prohibitio Canonum & Concilij Trident. quod laici nullam habeant jurisdictionem in causis Matrimonialibus; quia ipsi semper responderent, in causis Matrimonialibus, pertinentibus etiam ad substantiam Matrimonij, se immiscere, non quatenus Matrimonium est Sacramentum, sed quatenus est contractus civilis, ut fieri posse male praetendunt Haeretici, Ergo &c. Hucusque sunt verba Dianae.

Et prosequitur n. 5. dicens: hinc DD. communiter asserunt, quaestiones juris, & circa substantialia Matrimonij, privative spectare ad iudicem Ecclesiasticum. Sed quaestiones de impedimentis Matrimonij, & de ejus validitate & invaliditate, & si fuerit legitime contractum, spectant ad iudicem Ecclesiasticum, & non facti, quia spectant ad substantiam & essentiam Matrimonij. Ergo necessario eorum cognitionem privative ad iudices Ecclesiasticos spectare dicendum est, quidquid asserat P. Rabardeus.

Et ideo licet aliqui DD. asserant, causam meram possessorem beneficiorum, decimarum, oblationum &c. tamquam aliquid saeculare, & quid facti, posse cognosci a iudice laico, quod ego nego, hoc tamen non audent dicere de possessore Matrimonij: unde apponam hic verba Barboesae de Potesta. Episcopi part. 3. Alleg. 84. n. 14. ubi sic ait:

Non obstat argumentatio nostrorum, qua parificam causam possessorem Matrimonialem cum ceteris possessoriis beneficiorum, vel aliarum rerum Ecclesiae; quia ratione spiritualitatis, propter Sacramentum, excedit omnia caetera spiritualia, beneficia, decimas, oblationes, & his similia, de quibus ubi de possessione mera agitur, affirmant ferè omnes, iudices laicos cognoscere posse; unde non rectè argumentum de his ad Matrimoniales causas deducitur. Ita ille. Qui plures adducit DD. pro hac firmanda sententia, quam novissime canonizavit Oraculum sacrae Rotae die 28. Maij 1631. Dicendum est igitur contra P. Rabardeum causas Matrimoniales, de quibus loquimur, pertinere ad Episcopos & iudices Ecclesiasticos absolute & sine ulla distinctione. Haecenus Diana, hinc inde aliquibus omissis brevitate gratia.

Sed nunquid convincit intentum? Non puto, spectatis praecise verbis Trident. licet quippe aliqui fuerint Haeretici, qui admitterent causas Matrimoniales etiam ad iudices Ecclesiasticos spectare, haud equidem omnes admitterebant, & contra hos potuit illa definitio fuisse facta, & non contra illos.

Atque ut etiam contra illos facta fuisset, adeoque fidei foret, causas Matrimoniales ad solos iudices Ecclesiasticos spectare; censetur hinc bene inferri; ergo fidei est, siue definitum est,

76.
Quaestiones juris & circa substantialia Matrimonij privative spectant ad iudicem Ecclesiasticum.

77.
Non valet arg. à causa possessoriis beneficiorum ad possessorem Matrimonialem, ex Barboesa.

78.
An Diana convincat intentum.

est, Principem sæcularem non posse statuere impedimenta Matrimonij pro fidelibus, eò quòd Ecclesia sibi reservaverit eam potestatem?

79.
Objectio sua
vis contra
definitionem
Trident.

Audi quid contra hanc definitionem objiciat Suavis apud Pallavicinum Histor. Concilij Trident. part. 3. lib. 23. c. 9. n. 11. ibi: In duodecimo (Canone Concilij Trident. sess. 24. de Matr.) narrat (Suavis) absurdum fuisse visum Politicis, constitui articulum fidei, causas ad Matrimonia spectantes, pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, cum hæc definitio appareat contraria iis, quæ leguntur in Codice tum Justiniani, tum Theodotij, & in aliis antiquitatis monumentis; ubi patet à Principibus laicis præscribi conjugiorum impedimenta, & ab iisdem arbitratu suo relaxari, & cum Ecclesiastici accesserint ad hujusmodi causas, quæ ex commissione, quæ ex negligentia Principum ac Magistratum. Audistis objectionem, Intendite nunc responsioni Pallavicini.

80.
Solutio Pal-
lavicini.

Cur, inquit, potius istis absurdum non videbatur, dum illic Principes, & Principum Oratores, tam vigilanter studebant, procul arcere quodcumque creditum ab ipsis detrimentum suæ jurisdictionis, nihil eisdem huic Canoni repugnasse; quin potius primum Legatum repugnasse (fortè legendum, postulasse) ut ibi apponeretur *Anathema*. Quod si velimus utique tamquam debitum laicis Principibus adjudicare quidquid habetur in Codicibus, & cui in Ecclesiæ infantia ob minus malum oportebat interdum, ut Pontifices palpebras submitterent, eisdem etiam arrogare fas erit auctoritatem, ad ipsos Summos Pontifices confirmandos.

Neque hic necesse nobis est, quæstionem agitare, an legitima potestas ponendi impedimenta Matrimonio, adeoque ea relaxandi ablata fuerit Principibus ab Evangelij lege, dum contractum illum extulit ad conditionem Sacramenti, naturæ limites excedentem, an postea ab Ecclesiæ lege. Ad id quod agimus, nobis sufficit rem ipsam ita se habere, & à quacumque lege provenerit, rectè se habere.

81.
Quam utile
sit contra-
ctum Matr-
ad Ecclesi-
sticos per-
tinere.

Procul dubio, si à suo quisque animo æmulationem aut invidentiam erga Ecclesiasticos amoverit, intelliget quantæ sit utilitatis, ut contractus, cujus libertas, & certa efficacia, adeo necessariæ sunt ad salutem & quietem animarum, pendeat in omnibus Christi fidelibus ab Ecclesiæ Constitutionibus, uniformibus, & à charitate profectis, quæ tendunt ad sempiternam subditorum salutem; non autem à discrepantibus, & sæpè minus tolerabilibus Principum laicorum, qui temporarium bonum intendunt.

Hæc potestas
Ecclesiæ non
est arrogata.

Quòd si hæc Ecclesiæ jurisdictio bona ac legitima non esset, sed arrogata & subrepta, quo pacto eam Suavis describit, affirmare oporteret, sicut alias in ipsum argumentatus sum, orbem terrarum ante nos diu plenum cæcorum fuisse, dum per immensum temporis spatium Principes & Magistratus in cunctis Christiani orbis partibus tanti ponderis potestatem Ecclesiæ reliquerunt; quod neque ex concessione, neque

ex negligentia contigisse videtur in rebus merè civilibus.

Sed hæc omnia dicta sunt, ad confutationem eorum, quæ Suavis assumit & objicit, non ad necessariam hujus Trident. Canonis defensionem, quæ his non indigebat, cum in illo non de constituendis impedimentis agatur, sed de cognoscendis causis ad Matrimonium spectantibus. Eniavero statim ac Matrimonio adjungitur dignitas Sacramenti, evidenter conficitur, ad Ecclesiam pertinere potestatem, ejus efficaciam judicandi, adeoque potestatem decernendi, quidnam necessarium sit ad ipsius efficaciam judicandam, sicuti conspicitur in reliquis omnibus Sacramentis. Usque adhuc Pallavicinus.

Quem utique si vidisset Diana procul dubio non adeo urfisset Canonem illum Concilij Trident. contra Rabardeum, qui Canon, ut audis, non agit de constituendis impedimentis, de quibus hic agitur; sed de cognoscendis causis, ad Matrimonium spectantibus. Illamque cognitionem definit spectare ad Judices Ecclesiasticos idque privativè, si credimus Dianæ sup. Num inde rectè infertur; ergo constituere impedimenta spectat ad Judices Ecclesiasticos privativè?

Quamvis (inquit Dicastillo disp. 7. n. 22.) ad judicium solum Ecclesiasticum pertineant (causæ Matrimoniales) non inde sequitur, quòd leges civiles circa eam rem disponentes, non obligent; sæpè enim, juxta veriore doctrinam, leges conduntur à Principibus secularibus, tum in iis, quæ pertinent ad solemnitates contractuum & testamentorum, tum ad alias res, puta ad taxam pretij frumenti & similia, quæ etiam obligant Ecclesiasticos, & tamen judicare de iis in persona Ecclesiastica, non pertinet ad judicem sæcularem; ergo non eo ipso, quòd denegatur judici sæculari judicare de aliqua causa, annullantur leges sæculares circa illam, vel tollitur Principibus sæcularibus potestas condendi leges circa talem materiam; fieri enim potest, quòd Principes sæculares pro bono & pace Reip. aliquid circa eam materiam statuendum putent, & statuant; & quòd hoc semel statutum à Principe, & non reprobatum ab Ecclesia, quia non est contrarium bono animarum, judex nihilominus Ecclesiasticus sit, ad quem pertineat judicare, imò & compellere privativè, aut saltem cumulativè ad id servandum.

Hoc ipsum confirmatur ad hominem contra Sanchez & Coninck & Perez & alios, qui asserunt Principes infideles posse statuere impedimenta dirimentia, quæ obligent fideles, sibi subditos, in contrahendis Matrimoniis. In quo casu negari non potest, quòd Ecclesia possit judicare de valore illius Matrimonij, quòd tunc contrahitur cum tali impedimento, posito à Principe infideli.

Imò necessariò potestas directa vel indirecta Ecclesiæ debet id judicare, ut pro bono animæ contrahentium, vel separet eos si sub tali impedimento contraxerunt, vel permittat aut etiam cogat cohabitare, si tale impedimentum non fuit;

82.
De quibus
agat D. Ca-
non. Trident.

An de con-
stituendis
impedimen-
tis.

83.
Leges civiles
disponentes
circa cau-
sam Matrimoniales
non semper
annulantur
ex Dicast.

84.
Confirmatur.

fuit, & alioquin sit legitimum Matrimonium: ergo non eo ipso, quod Ecclesia iudicet de tali valore Matrimonij, atque adeo Sacramenti, definit, in eorum Auctorum principiis sistendo, esse potestas in Principe sæculari ad inducendum impedimentum. Hactenus Dicastillo.

85. Neque ius commune neque Trid. satis probant intentum seculi a consuetudine.

Dicastillo. Ad quid æstimas? Ut ostendat, neque dictos textus juris communis, neque d. can. 12. Concilij Trident. si præcisè stemus eorum verbis, sufficienter probare intentum. Interim si spectemus usum Ecclesiæ, & consuetudinem, optimam legum interpretem, sic intelligendæ sunt d. leges Ecclesiasticæ, ut impedimenta & negotia Matrimonialia, ad iudicem, Principem & forum pertineant Ecclesiasticum privative: Quia (inquit Dicastillo sup. n. 24.) ita declaravit prædicta consuetudo, quæ est optima legum interpres; omnes enim causæ Matrimoniales ad iudicem Ecclesiasticum deferuntur, & sic est ab omnibus in praxi intellectum Trident. & alij textus sup. citati, ut non videam posse esse aliquos, qui (ne amplius dicam) licitè & sine periculo incurrendi suspicionem minoris obedientiæ, quam par est erga Ecclesiam, & ejus potestatem, rem hanc ita vertant in quæstionem, ut oppositum velint esse probabile.

86. Communis sensus DD. Et consuetudo reservans impedimentum a Matr. Ecclesia D. Tho. D. Bonav. Itaque sufficiat nobis manifesta & recepta consuetudo. Accedat communis sensus DD. quos refert Diana sup. resol. 23. & 25. ubi disertis verbis id affirmant. Tantum appono verba D. Angel. & D. Scraphici. Ille 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4. sic ait: Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonij, nisi interveniret Auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit. Hic autem eadem dist. q. 2. Quia inquit, Ecclesia tale impedimentum suâ constitutione & approbatione fecit esse validum, alioquin non posset impedire.

Sententia Pet. de Soto. Hinc non est audiendus Pet. de Soto lect. 4. de Matrimonio ad finem, ubi ait: leges civiles ex pietatè & voluntate Principum in hac recessisse Ecclesiæ, ut nullum jam censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non iudicat; non tamen propterèa legi, id auferendum esse, ut illegitimos aliquos reddere possit ad Matrimonium inendum; ubi clarè admittit, hodie id posse Principem sæcularem: nec posse Pontificem eam adimere facultatem, sed propriâ sponte ac pietate ductos cessisse Principes.

87. Hanc sententiam Soti amplectitur & propugnat P. Rabardeus sect. 5. per totam (ut refert Diana sup. resol. 23.) Probat autem n. 2. Quia Matrimonium est contractus merè civilis non minùs, quam alij; & consequenter similiter potestati Politicæ subjectus est. Sicut igitur Principes laici ex justa causa possunt aliquos (v. g. prodigos & pupillos) reddere inhabiles ad alios contractus, ita etiam ad hunc: quia eadem planè est ratio.

Occurrit objectioni. Nec refert, quòd Matrimonium sit Sacramentum; quia idèò non definit esse verè contractus civilis, & hanc ratione subditus potestati Politicæ, Quare etsi potestas Politicæ directè

nihil possit statuere circa Sacramenta; potest tamen indirectè, impediendo valorem contractus, quem Matrimonium essentialiter involvit. Sicut etsi lex Ecclesiastica non possit directè impedire potestatem Ordinis; potest tamen id facere indirectè, subtrahendo nimirum Sacerdoti jurisdictionem ad Absolutionem necessariam. Imò nec potestas Ecclesiastica potest aliâ ratione irritare hoc Sacramentum, quàm irritando indirectè contractum. Ergo &c.

Deinde probat P. Rabardeus suam sententiam n. 3. & 4. ex aliquibus legibus Honorij, Theodosij junioris, Valeriani, Gallieni & aliorum Imperatorum, apertè declarantium, nuptias contra aliquarum legum suarum præscriptum celebratas, non esse firmas & validas, neque postea continuatione, vel temporis longitudine convalescere. Hæc sunt argumenta P. Rabardei.

Sed ad summum probant, Rempub. civilem per se loquendo habere potestatem constituendi impedimenta Matrimonij; non autem, quòd de facto adhuc constituat. Enimverò eo ipso quòd secundum Christi institutionem contractus Matrimonij factus fuit sacer, à sæculari foro, si non ipso jure Divino fuit exemptus, saltem per Ecclesiam eximi potuit, & jam sup. ostensum est, fuisse exemptum, sicut ædes, vasa, vestes, hoc ipso quòd à fidelibus ad pium usum five ministerium sacrum oblata, & ab Ecclesiæ Prælato acceptata & dedicata sunt, à sæcularium potestatum dispositione, jurisdictione, & exactione eximuntur: sicut etiam accidit in ipsis Clericis.

Igitur ex eo tempore, quo contractus Matrimonij, alioqui civilis, facta est res taliter sacra, ut habeat veram rationem Sacramenti, debet, constitutionem impedimentorum concessam fuisse Ecclesiæ, ad quam spectat de Sacramentorum dispensatione decernere; ac postmodum Pontificiâ reservatione eam Principibus sæcularibus interdictam fuisse.

Hinc Urb. 3. c. 4. de Secund. nupt. abrogat legem Cæsaream, quæ infamiam irrogat viduis, nubentibus infra annum lugubrem, l. 1. ff. de His qui not. infam. Respondemus (inquit Pontifex) quòd cum Apostolus dicat: Mulier viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui: in Domino nubat cui voluerit: per licentiam & auctoritatem Apostoli, ejus infamia aboletur.

Idem statuit Innoc. 3. c. 5. eod. adjiciens in fine: Cum in his præsertim seculares leges non dignentur sacros Canones imitari. Ubi Gloss. verb. Cum in his, inquit, scilicet Matrimonij contrahendis, in quibus seculares leges sacros Canones imitantur.

Et cap. 26. 35. q. 2. rejicitur à Greg. 1. lex Honorij & Iustiniani Imperatorum, quæ decernebat valida Matrimonia inter consobrinos: Quædam lex terrena in Romana Repub. permittit, ut si frater & sororis seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognatio-

Ecclesia potest indirectè impedire potestatem Ordinis.

88. Probat Rabardeus suam sententiam ex quibusdam legibus.

89. Resp. ad cas.

Ecclesia decernit de dispensatione ne Sacramentorum.

90. Lex civilis in Matr. sacros Canones imitatur, c. 4. & 5. de secund. nupt.

91. Et per eos abrogatur. c. 20. 35. q. 2.

nis turpitudinē revelare. Vnde necesse est, ut in quarta vel quinta generatione &c. Et huiusmodi multa alia reperies in iure Civili, quæ postea fuerunt correctæ à iure Canonico; v. g. ab Ecclesia reprobatae sunt leges Civiles, quæ statuebant Matrimonia inita contra voluntatem parentum esse irrita, ut suo loco ostendimus.

Conclusio. Quæ cum ita sint, constanter assero, hodie nec licite nec valide Principem sæcularem fidelem ferre leges, quibus subditorum fidelium impedimenta statuatur. Quis ergo? Pontifex.

92. *Principes infidelis adhuc sibi imponunt impedimenta respectu fidelium sibi temporaliter subordinatum Sanchez.* Dixi conclusio: Principem fidelem; quia infidelem adhuc statuere impedimenta respectu fidelium sibi temporaliter subordinatum, docet Sanchez lib. 7. disp. 3. n. 7. dicens: Id monuerim fideles subditos Principibus infidelibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, astringi legibus eorum iustis irritantibus Matrimonia in omnibus iis casibus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si cum eo impedimento dirimenti contrahant, erit nullum Matrimonium. Quia ratio Sacramenti superaddita Matrimonio fidelium, non impedit in Principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi; sed sola reservatio Pontificis, quæ ad Principes infideles extendi nequit. Hæc ille.

Quod autem extendi nequeat, inde probatur: quia infideles non arctantur directe constitutionibus Ecclesiasticis, utpote Ecclesiæ non subiecti, quæ non iudicat de iis, qui foris sunt, ut superius dictum fuit.

Eum sequitur Coninck. Hanc sententiã amplectitur Coninck disp. 30. n. 7. Quia fideles illi civiliter eis subiecti sunt. Nec Ecclesia (inquit) his hanc potestatem, utpote sibi non subiectis, potuit adimere, cum hoc ad bonum spirituale fidelium non sit absolute necessarium.

93. *Fundamentum oppositæ sententiæ.* In quibus ultimis verbis indicat fundamentum oppositæ sententiæ, quam in primis docent, & debent docere omnes illi, qui asserunt, per elevationem Matrimonij ad rationem Sacramenti, cum contractum omnino iure Divino esse exemptum à jurisdictione Principum sæcularium; ita, ut non solum non statuatur, sed nec statuere possint, per se loquendo, impedimenta pro Matrimonio, quod est Sacramentum.

Quam videriorem existimat Tannerus. Præter hos autem eidem adhæret tamquam veriori Tannerus in 4. to. disp. 8. quæ est de Matrimonio q. 4. dub. 1. n. 20. Verius (inquit) est Christianos subditos Principibus infidelibus, quoad Matrimonia, quæ inter seipfos contrahunt, non astringi legibus eorundem Principum, impedimenta dirimentia constituentibus. Est planè sententiã S. Tho. antea citati, & videtur ex mente aliorum Doctorum, qui universaliter ac indefinitè de Matrimoniis Christianorum loquuntur. Et colligitur ex cit. Canonibus, quibus absolute asseritur, Matrimonium inter Christianos, eò quod sit Sacramentum, ad Ecclesiasticum, non civile forum pertinere. Hæc ille.

94. *An sit sententiã D. Thomæ.* Sed (ut bene notat Dicast. sup. n. 12.) D. Tho. ibi non satis clarè loquitur, neque ad notum casum descendit; sed manet in generalibus

terminis, dicens, ut sup. audivimus: Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonij, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit. Loquitur de impedimento, quod oritur ex adoptione, non tantum respectu fidelium, qui subsunt temporali Dominio Principis infidelis, sed universaliter respectu omnium fidelium.

Similiter & Canones citati, cum generales sint, possent pati exceptionem in casu, de quo hic loquimur, utpote in quo est specialis ratio, scilicet Dominium temporale Principis infidelis, qui ab Ecclesia nequeat privari suâ potestate, sicut in aliis contractibus, ita neque in hoc contractu, ut Sanchez & alij cum ipso contendunt. Itaque probandum est, potius in hoc contractu, quam in aliis, posse huiusmodi Principem ab Ecclesia privari suâ jurisdictione.

95. *Ecclesia potest Principes infideles privare aliquo iure in Christianos, iuxta Tannerum.* Quod probè intelligens Tannerus sup. sic prosequitur suum argumentum: Nec verò deest potestas Ecclesiæ, Principes etiam infideles privandi aliquo iure in Christianos ex rationabili causa, ut docetur in 2. 2. de Fide. Et confirmatur: alioquin enim fatendum esset, Matrimonia etiam clandestina, inter eiusmodi fideles contracta, quamvis simul in iisdem locis promulgata esset Concil. Trident., esse valida: nec adeo etiam ceteras leges Ecclesiasticas, de Matrimoniis latas, obligare, si quando legibus eiusmodi Principum infidelium adversarentur. Hæc ille.

Sed ego non approbo hanc confirmationem; quippe leges Matrimoniales, ab Ecclesia latæ, non locales, sed personales sunt (excepto Decreto irritante Matrimonium clandestinum, quod etiam locale est, ut vidimus suo loco) adeoque ubique terrarum astringunt fideles, ita ut, si fidelis contraheret Matrimonium apud infideles, apud quos domicilium habet, cum impedimento aliquo dirimente Ecclesiastico, v. g. cognationis spiritualis, Matrimonium foret nullum, estò apud illos infideles non foret impedimentum dirimens.

96. *Universus orbis est territorium Ecclesiæ in spiritualibus.* Ratio mea est: quia universus orbis est territorium Ecclesiæ seu Pontificis in spiritualibus; ac proinde, nisi aliud declaret Pontifex, & ipse ad certa loca leges suas restringat, censetur per universum orbem fideles velle obligare; cum non ratione loci, sed ratione Baptismatis ei subiciantur.

Ac præterea: indubitatum est, leges civiles cuiuscumque tandem Principis non posse corrigere, seu abrogare leges Ecclesiasticas; sed e contra, Pontificem posse suis legibus corrigere eas, & abrogare leges Principum etiam Ethnicorum & infidelium, quando ita expedit bono Ecclesiæ & salutem animarum sibi subiectarum.

Tametsi ergo Principes infideles possent obligare fideles, subditos in temporalibus, suis legibus Matrimonialibus; haud equidem obligarent, quando adversarentur legibus Ecclesiæ; sed tunc standum foret legibus Ecclesiæ, tamquam à sublimiori potestate constitutis.

Sed quid, si non adversarentur? Ut jam audivimus,

97. *Sententiam Tanneri sequitur Layman.*

vimus, Affirmat Sanchez, Coninck, & alij eas obligare: negat Tannerus, quem sequitur Layman lib. 5. Theologiae moral. tract. 10. part. 4. c. 1. n. 3. sic scribens: Porro quod dicunt Sanchez & Coninck uterque n. 7. fideles subiectos Principibus Ethnicis, astringi impedimentis Matrimonij, juxta ritum ac leges eorum civiles, id alij DD. non meminerunt, contrariumque probabilius est, quod attinet ad impedimenta dirimentia, sicuti notavit Adamus Tannerus de Matr. Thesi 137. cum non excedat potestatem indirectam Ecclesiae, omnes ubique terrarum degentes Christianos, eximere a legibus civilibus, & subicere Ecclesiasticis, quod attinet ad Matrimonij validitatem aut invaliditatem; quippe cum plurimum propter Sacramenti dignitatem interfit, in hac re uniformitatem, inter omnes Christianos existere. Ita Layman.

98. *Eandem Dicastillo putat probabilem.*

Ei subscribit Dicastillo sup. dicens: Utraque sententia mihi probabilis videtur, sed probabilior secunda, quae negat astringi. Quamvis autem pleraeque rationes Tanneri & auctoritates, quas allegat, mihi non probent; illa mihi placet, quam ipse indicat, & assert Layman; nempe quod ex uno capite Ecclesia, generaliter exemerit ubique terrarum degentes Christianos a legibus civilibus, & subjecerit Ecclesiasticis, quod attinet ad Matrimonij valorem, aut nullitatem, nulla facta limitatione eorum, qui subduntur Principibus infidelibus.

Ex alio vero capite, etiam ad eos fideles extenditur potestas Ecclesiae, saltem indirecta, eximendi illos a suis Principibus; ergo non est cur negemus illos esse liberos ab iis legibus; nec minus decet propter reverentiam Sacramenti subijci solum Principibus Ecclesiasticis eos fideles, & liberari a legibus Ethnicorum, quam fideles subditos Principibus Christianis a legibus eorundem: & ad Sacramenti dignitatem plurimum confert, ut in hac re sit uniformitas inter omnes Christianos. Haec ille.

99. *Eidem sententia adhaeret Diana part. 8. refol. 77. & ad illam magis firmandam adducit auctoritatem Caspensi. in cursu Theol. to. 2. tract. 26. disp. 9. sect. 1. n. 5. ubi ita asserit: Inferitur 2. Si aliquis Christianus sit subditus Regis infidelis, qui pro sua Repub. aliqua instituit impedimenta dirimentia, eundem Christianum non subiacere his impedimentis; sed solum subijci statutis ab Ecclesia; quia in eo articulo non est subditus illius Regis, sed solius Ecclesiae; eo vel maxime, quia eius Matrimonium contrahendum, est verè Sacramentum.*

Unde a contrario inferitur, si aliquis Iudaeus v. g. sit subditus Regis infidelis, in illis servandis impedimentis subiacere eidem Regi; quia neque ipse est Christianus, neque ejus Matrimonium Sacramentum. Quod si subditus sit Rom. Pontificis (ut Romae Iudaei degentes) ei non subiacet in statutis impedimentis in Ecclesia pro solis baptizatis. Caeterum si Rom. Pontifex, ut Dominus temporalis eorum, vellet eis statuere impedimenta, tenerentur ipsi Iudaei iis impedimentis; cum haec jam non censerentur Ecclesia-

100. *An Papa sibi reservaverit impedimenta privativa ad Episcopos.*

101. *Auctori placet sententia affirmans, fideles de facto esse exemptos.*

stica, sed pure civilia. Sic ille.

Notat autem Dicastillo sup. quod Sanchez & alij Auctores, qui ipsum sequuntur; videantur loqui de legibus, quae de facto sunt latae in Ecclesia, & de earum reservatione & ratione reservandi, quae de facto movit Papam aut Concilium; de hac vero reservatione dicunt, ad Principes infideles extendi nequit. Itaque non clare loquuntur de potestate, quam alias habeat Pontifex, ut si videat expedire, possit illos fideles ab iis legibus eximere; sed de exemptione, quae de facto fit (quidquid fit de possibili) nec video posse jure negari eam potestatem eximendi, sicut ab aliis obstantibus bono & fini supernaturali fidelium. Haec ille.

Utut sit (ex mente istorum Auctorum) de possibili; hic tantum disputatur de facto, an videlicet impraesentiarum sit sufficiens causa, eximendi fideles a legibus Principum infidelium quoad validitatem vel invaliditatem Matrimonij.

Nobis porro magis placet sententia affirmans, licet namque illa exemptio non sit absolute necessaria ad bonum spirituale fidelium; est tamen multum expediens, ut patet ex dictis. Interim ad omnem incertitudinem Matrimonij evitandam, consultum omnino est, ut fideles hujusmodi observent leges tum Ecclesiae, tum etiam Principum infidelium, quando sibi mutuo non adversantur.

Sed quid si infidelis contrahat extra patriam suam, in loco, Principi Christiano subdito, aut alio Principi infideli, cum impedimento dirimenti, statuto a solo suo Principe? Existimat Sanchez sup. n. 10. Matrimonium fore validum. Quia (inquit) non astringitur legibus suae patriae extra illam juxta c. 2. de Constit. in 6. ibi. Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.

Dicitur autem: A solo suo Principe: Quia (inquit Sanchez sup.) si etiam esset impedimentum dirimens, sancitum a Principe loci, in quo contrahit, non valeret: quia peregrini astringuntur legibus communibus suae patriae & loco, in quo reperiuntur. Si autem esset ab Ecclesia inductum illud impedimentum in loco fidelium, ubi infidelis contrahit, & in suo oppido a Principe infideli, valeret Matrimonium. Quia lex illa Ecclesiastica non est generalis in illo oppido, sed solos fideles astringit. Ita Sanchez. Vide quae nos diximus de peregrinis parte praeced. ubi de Matrimonio clandestino peregrinorum.

Itaque, ut ad alia pergamus, Pontifex sibi reservavit constitutionem impedimentorum circa validitatem vel invaliditatem Matrimonij inter fideles, privative ad Principes saeculares. Nunquid etiam privative ad Principes Ecclesiasticos, v. g. Archiepiscopos, & Episcopos & similes Praelatos inferiores, quibus ex vi sui muneris competit ferre leges suis subditis?

Quod hi Praelati inferiores non possint statuere impedimenta dirimentia, quae obligent universalem Ecclesiam, nimis clarum est, cum non habeant jurisdictionem in universalem Ecclesiam.

100. *An Sanchez loquatur de solis illis legibus quae de facto latae sunt a Dicastillo;*

101. *Auctori placet sententia affirmans, fideles de facto esse exemptos.*

102. *Quid si infidelis contrahat extra patriam suam.* Sanchez; c. 2. de Constit. in 6

103. *An Papa sibi reservaverit impedimenta privativa ad Episcopos.*

Episcopi non possunt obligare universalem Ecclesiam.

clesiam, five in omnes fideles; constituere autem hujusmodi impedimenta, est actus jurisdictionis, quia legislatio.

104. Certum quoque est, non solum Episcopos, sed etiam Parochos posse in casu particulari prohibere suis Diocesanis aut parochianis, ne Matrimonium contrahant ad aliquod tempus, nempe si sic oporteat ad vitandum aliquod imminens scandalum, sive præcipue ad discutendum, num forte subsit aliquod ex Ecclesiasticis impedimentis, aut etiam Divinis, vel naturalibus.

Itaque tam Episcopus, quam Parochus, ut infra videbimus, prohibet per speciale interdictum contractum Matrimonij; cum enim illud interdictum dependeat ex specialibus circumstantiis, non oportuit illam potestatem ab ipsis auferre; sed potius concedenda fuit, si forte ex jure communi eam non haberent, ut multis inconvenientijs & periculis obviaretur.

105. Quod autem nequeat Episcopus, multò minùs Parochus, instituire alia impedimenta dirimentia, præter ea, quæ universali lege Ecclesiæ seu Summi Pontificis sancita sunt, docent (inquit Averfa q. 9. sect. 3. §. Nihilominus) Theologi, Juristæ & Summistæ communiter. Et aliqui censent, ex natura ipsa rei hanc facultatem non convenire Episcopis. Idem probabilius reputat Coninck disp. 30. dub. 1. conclus. 3.

Non ex natura & institutione hujus Sacramenti, secundum Averfam;

Verè tamen, nec ex natura & institutione hujus Sacramenti, sive ex jure Divino Christi, sublata erat Episcopis, & soli Pontifici reservata hæc potestas. Nec in jure Canonico invenitur lex scripta limitans in hoc auctoritatem Episcoporum. Quinimò inveniuntur potius plures Canones ex Conciliis quibusdam Provincialibus, atque ad eam auctoritatem particularium Episcoporum, in suis Provinciis induxisse quædam impedimenta, quæ postea ab universali Ecclesia confirmata & approbata sunt.

106. Sed ex longæva & universali consuetudine, & fortasse etiam ex lege aliqua scripta, non inserta in corpore juris, factum est, ut Episcopi non possint alia impedimenta, præter communia totius Ecclesiæ, statuere: sed eorum partes tantum esse, studiosè cavere, ut quæ ab Ecclesia statuta sunt, sollicitè custodiantur. Et ita ad consuetudinem referunt hanc reservationem Sanchez lib. 7. disp. 1. n. 9. Pontius lib. 6. c. 1. n. 12. & alij Recentiores. Hæc ille.

Sanchez. Pontius.

Coninck putat, hanc potestatem nullo modo competere Episcopis.

Interim, sicut audivimus, Coninck putat probabilius, hanc potestatem nullo modo competere Episcopis etiam seclusà omni Pontificis prohibitione: Quia (inquit) nec jure Divino iis competit, neque etiam Ecclesiastico.

107. Quod non competat jure Divino, probatur, quia illud axioma, quod à multis DD. admittitur, & est fundamentum oppositæ sententiæ: Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diocesi, nisi prohibeatur, absolutè loquendo (inquit Suarez de Censuris disp. 7. sect. 4. n. 5.) verum non est; quia nec ratione fundari potest, nec inductione probari; ut ibi adductis variis instantiis hic Auctor ostendit.

Suarez.

Quod maximè verum est, in sententia, quæ dicit, Episcopum ex vi suæ Ordinationis nullam habere jurisdictionem; sed omnem suam jurisdictionem, quanta quanta est, debere accipere immediatè à Pontifice.

Quare, inquit Coninck sup. n. 3. ut hanc vel illam potestatem non habeant, non est opus, Pontificem eam ipsis negare: sed sufficit, quòd eam ipsis non concedat. Quòd autem Pontifex non concesserit potestatem constituendi impedimenta dirimentia Matrimonium, probat Coninck; quia nulla talis concessio adferri potest.

Ergò axioma illud (concludit Suarez sup.) vel admittendum non est, vel limitandum est, ut intelligatur de his solum, quæ ad ordinariam & communem gubernationem animarum pertinent ac moraliter necessaria sunt, ad quem ordinem per se non spectant impedimenta dirimentia Matrimonium.

Confirmat porò suam doctrinam Coninck sup. n. 8. quia per talia impedimenta Matrimonium propriè & per se irritatur, quatenus est contractus merè civilis, & tantum consequenter, quatenus est Sacramentum; ideoque illud irritare propriè & per se spectat ad Principes civiles, sicut irritare alios contractus civiles.

Quare dum Ecclesia sibi hanc potestatem assumit, utitur potestate illà indirectà, quam habet circa res temporales, ut de iis disponat, quatenus hoc expedit bono spirituali fidelium, quæ immediatè concessa est toti Ecclesiæ, atque ejus capiti Rom. Pontifici; nullo autem modo singulis Episcopis. Quia circa res civiles invitatis Principibus nihil possunt statuere, quantumcumque hoc salutem fidelium expediat, modò non sit eorum salutem omninò necessarium, quo casu Magistratus civiles jure naturali Divino tenentur hocmittere. Hactenus Coninck.

Sed ad hanc confirmationem facilis est responsio eorum, qui docent, contractus Matrimoniales fidelium esse realiter Sacramenta per veram ac realem identitatem contractus & Sacramenti, ac proinde nulli subesse, quoad ultimam suam formalitatem, potestati humanæ purè naturali, nec à Deo supernaturaliter elevatæ; facilis, inquam, est eorum responsio, ut puta, Ecclesiam non solum potestate indirectà, sed maximè directà posse statuere circa Sacramentum Matrimonij, quidquid visum fuerit expedire; illa autem potestas directà circa res spirituales, non tantum competit Summo Pontifici, sed etiam singulis Episcopis respectivè ad suos subditos, si non præcisè ex vi suæ Ordinationis, saltem ex vi jurisdictionis, sibi à Pontifice concessæ, nisi expressè limitetur.

Atque ut Ecclesia uteretur potestate tantum indirectà, dum constituit impedimenta Matrimonij, unde probas, quòd hæc potestas non competat Episcopis, nisi in illis, quæ sunt omninò necessaria salutem subditorum, & non etiam in his, quæ valde expediunt? Hoc ergo probatum oportuit, non suppositum; maximè cum Matrimonij Sacramentum non sit tantum res civilis.

108. *Quomodo intelligendum illud axioma: Quidquid potest Papa &c. Ex Suarior.*

Confirmatio doctrinæ Coninck.

Potestas indirecta circa res temporales non est concessa Episcopis.

109. *Resp. ad confirmationem.*

110. *Negatur, Episcopis non competere potestatem indirectam circa Matr.*

civilis, sed etiam res sacra; licet ergo de rebus merè & purè civilibus non possit Episcopis indirecta potestate disponere, nisi pro bono omnino necessario, cur saltem non poterit disporre de re partim civili, partim Ecclesiastica, quando id multum expedit salutem fidelium?

III. Oportet ostendere ubi Papa negaverit potestatem impedimentorum Episcopis. Quare ut hanc vel illam potestatem non habeant, non sufficit, ut Pontifex eam expressè non concesserit, sed opus est ostendere, ubi Pontifex eam ipsis negaverit; alioqui in jurisdictione generaliter concessa absque aliqua restrictione, censetur inclusa.

Potest quidem Pontifex auferre jurisdictionem Episcoporum, potest eam limitare, tanquam vel à se concessam, vel immediate à Deo, tamen cum subordinatione, seu ut subordinatam potestati Pontificiæ, si nihilominus eam non auferat, aut expressè limitet, sive jure scripto, sive consuetudinario, aut alià quacumque ratione, censetur se extendere ad ea omnia respectivè ad eorum Ditecesim, ad quæ se extendit potestas Pontificis respectu universi orbis seu totius Ecclesiæ; saltem (inquit Dicastillo sup. n. 29.) quantum ad ea, quæ non concernunt totius Ecclesiæ regimen, & fidem, & quæ tantum censetur Christus concessisse Summo Pontifici, ut sunt definire res fidei, dissolvere Matrimonia rata & similia. Hic Auctor ibid. n. 28. putat utramque sententiam factis esse probabilem.

112. Ostenditur ex consuetudine. Sed quid prodest Episcopis, quod probabiliter habeant illam potestatem, quando nihilominus eam nequeunt uti? Nam hodie certum est, ex contraria consuetudine, ut sup. dictum est, vim legis habente, soli Rom. Pontifici impedimenta dirimentia esse reservata. Hinc novissimè Card. Lugo in Respons. moralibus merito improbat factum cujusdam Archiepiscopi, qui voluit irritare Matrimonia contrahenda sine præmissis denunciationibus.

Quid ergo prodest Episcopis illa potestas? Non plus eis prodest, quam Principibus sæcularibus fidelibus respectu Matrimonij fidelium; qui etiam suâ potestate, quam per se loquendo habent, nequeunt uti, obistente sibi reservatione Pontificiæ, circa ea scilicet, quæ sunt intrinseca & essentialia Matrimonio.

113. An qui non potest statuerè super principali, possit super accessorio? ex Felino. Imò, secundum Aliquos, circa accessorium, quo impeditur principale, ut optimè (inquit Pontius sup. n. 4.) explicat Felinus in cap. 1. de Sponsal. n. 13. in fine. Appono verba Felini: Non videtur probabile, quòd is possit statuerè super accessorio, qui non potest super principali; quia sic indirectè impeditur ipsum principale, ad alterius forum pertinens, contra cap. fin. de Immun. Ecclesiæ in 6. & Reg. Iuris 39. de Reg. Iur. in 6. Cum quid prohibetur, Prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

Tractat autem Felinus eo loci hanc questionem: Utrum valeat statutum, quo Principes sæculares concedunt exhereditatem filij aut filia, quæ contrahit Matrimonium sine consensu patris, & adhæret sententiæ, neganti eò quòd per hujusmodi statutum impediatur libertas Matrimonij.

114. Ego docui disp. præced. Sect. 5. Conclus. 5.

quòd leges civiles, quæ filios vel filias, nubentes contra justam & rationabilem voluntatem parentum, exheredari posse à parentibus volunt, justæ sint atque servandæ. Cumque Pontius idem asserat, ut ibi vidimus, non potest hic ferri sententiam Felini, nisi eam intelligat de legibus injustis, quæ statuunt exheredationem, etiam illis, qui contra injustam & irrationabilem voluntatem parentum nubunt.

Sed nunquid eam sic intelligit? Ait namque sup. An autem leges sæculares, punientes filios, qui contrahunt contra parentum consensum, valeant, cum iis videatur impediari principale, quod est libertas Matrimonij, ex eo pendet, an ejusmodi leges justæ sint, de quo jam dixi sup. lib. 2. ubi ostendi, quòd justæ sint, & quando secus. Hæc ille.

Et prosequitur n. 5. dicens; Circa alia accidentalialia Matrimonio vel accessoria, quæ non pertinent ad ejus substantiam, neque ex se impediunt principale, sæculares Principes pro sua potestate possunt leges validas statuere, ut docet Felinus ibid. & latè explicat per nonnullas fallentias n. 14. & sequentibus. Hujusmodi sunt leges circa dotem, & lucrum dotis, vel donationes inter virum & uxorem, & sponsalitiarum largitatem, & similiter leges, quæ poenis constitutis adjuvant prohibitiones Ecclesiasticas. Ita Basil.

Ceterum Felinus videtur intelligere suam sententiam de rationabili dissenso patris, ibi: Quarta declaratio, ut non valeat statutum, dispensans non solum circa vinculum Matrimonij, sed circa aliquam solemnitatem, inducendo poenam, & sic inferendo damnum; puta, si imponeret poenam personis, contrahentibus Matrimonium sine consensu patris, quia non valet.

Ita disputando concludit Ioan. Andr. in c. Statutum, de Hæret. in 6. quàmvis referat, obtentum fuisse contrarium in publicâ disputatione Bononiæ, & movetur in effectu; quia licet sit fundatum tale statutum in bono publico pro vitandis scandalis, & habeat in se optimam rationem; tamen negari non potest, quin iste metus poenæ impediatur Matrimonium contrahi directè: ergo non debet valere, sicut dicitur in simili in d. c. Statutum, & facit c. Gemma, inf. eod. ubi ne impediatur libertas Matrimonij, prohibetur in eo poena. Hæc ille.

Multis autem interjectis, hisce verbis approbat dictam sententiam: Sed nihilominus verior puto opinionem Ioan. Andr. in d. c. Statutum, quæ est communiter approbata, ut dixi, quia cum per Canones concedatur filiis vel filiabus libera potestas nubendi, non potest illa metu poenæ coarctari. Illud enim soli Papæ potest competere, cui datum est distinguere & limitare prohibita vel concessa de jure Divino, secundum DD. in c. fin. de Consuetudine, & Ioan. Andr. & Omnes in c. Quæ in Ecclesiarum, de Constit. Sed ista facultas liberè contrahendi Matrimonium concessa à Deo non est restringibilis aliquo colore per potestatem sæcularem. Hinc est quòd leges contra secundo nubentes

An Pontius rectè sic approbat sententiam Felini

115. Circa accidentalialia Matrim. quæ non pertinent ad ejus substantiam, neque impediunt principale, dispensant Principes sæculares, ex Pontio.

116. Quomodo intelligenda sententia Felini.

Ioan. Andr.

117. Felinus approbat sententiam Ioan. Andr.

118. Quomodo intelligenda sententia Felini.

Leges civiles, les contra

*vubentes
sunt omnino
sublati.*

editæ, sint omnino sublatae, ut in c. fin. de Secundis nuptiis. Et non videtur probabile &c. ut sup. Ita Felinus.

Fallentias hujus doctrinae videre poteris apud eundem Auctorem n. 14. nimis multæ sunt, quàm ut hic possint commodè apponi. Lege etiam, quæ de hac re scripsimus disp. præced. loco sup. citato.

118.
*Propoun-
tur duo no-
ve quæstio-
nes.*

Impresentiarum quæritur: utrum supposita legitima potestate constituendi impedimenta dirimentia, valeat constitutio seu lex, facta sine justa causa. Secundò; an existente justâ causâ, etiam personæ particulares possint reddi inhabiles. Pro responsione ad utramque quæstionem erit.

CONCLUSIO IV.

Ut valeant impedimenta, requiritur justa causa. Eâ existente, etiam personæ particulares redduntur inhabiles.

119.
*Non licet sine
justa causa
constituere
impedimenta.*

Non disputatur hic, an liceat constituere impedimenta sine justa causa; quippe ab omnibus supponitur, id non licere, cum nullus Legislator possit uti suâ potestate in destructionem boni communis, sed tantummodò in ædificationem, juxta illud Apostoli 2. Cor. 10. v. 8.

2. Cor. 1.

Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram, non erubescam. Foret autem destructio seu dissipatio boni communis, & non ædificatio seu recta administratio, si Pontifex aut alius Legislator, impediret vel irritaret Matrimonium, quod jure naturæ omnibus concessum est, pro suo libitu absque ulla rationabili causa.

120.

*Major causa
requiritur
ad irritandum,
quàm
simpliciter
prohibendum,
ex Tappero.*

Et (ut benè advertit Ruard. Tapperus art. 20. Lovaniensi paulò post principium) major exigitur causa ad dirimendum, quàm ad simpliciter prohibendum Matrimonium; & sæpè aderit justa causa prohibendi, non tamen dirimendi; quia dirimere gravius est, quàm simpliciter prohibere.

Interim, quia multa potest illicitè efficere Pontifex, aut alius Legislator, quæ tamen si fiant, obtinent roboris firmitatem; exemplum, dispensare in propria lege, quod secundum plurimos Doctores valet, tamen nequiquam liceat; hinc dubitant aliqui; an similiter, si Pontifex, aut alius Legislator absque causa justa decernat impedimentum aliquod, teneat factum, ita ut sit peccatum, cum eo impedimento inire Matrimonium; & si fuerit impedimentum dirimens, Matrimonium initum minimè valeat.

121.
*Probatur
impedimen-
tum, sine
causa pos-
sum, valere.*

Pro parte affirmativa præter exemplum jam allegatum, facit; quòd oim potuerit Pontifex dirimere Matrimonium intra septimum consanguinitatis gradum contractum, ut constat ex cap. Ad sedem, 35. q. 5. qui gradus hodie restricti sunt, c. Non debet, de Consanguin. & Af-

finis. Ergo olim plura erant impedimenta, quæ postea successu temporis ablata sunt: quod signum est non fuisse antea necessaria aut utilia, & tamen adhuc ligabant.

Imò quædam potius erant noxia, ut colligitur ex Trident. sess. 24. c. 2. de Matr. ibi: *Trident. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Et idè Concil. eo cap. & duobus sequentibus piè & utiliter abstulit quosdam impedimentorum gradus.

Atque pro hac sententia citantur Hostiensis cap. *Tua fraternitas*, de Sponsa duorum, ad finem, dicens: Fortè ita esse. Veracruz 1. part. Specul. art. 46. & Vega 10. 2. c. 34. casu 128.

*Auctores pro
hac doctri-
na.*

Ceterum (inquit Sanchez lib. 7. disp. 1. n. 6.) omnino tenendum est, ad valorem prohibitionis desiderari justam causam. Et proinde eâ non existente, dicendum est, Matrimonium contra eam initum validum esse, & culpâ vacare. Quoniam cum Matrimonium sit vinculum jure naturali & Divino inventum, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes & descendentes, non potest Pontifex illud ad libitum interdicerè; sed sicut dispensatio in illis, quæ jure naturæ obligant, facta absque causa, est irrita; ita censendum est de prohibitione Matrimonij absque legitima causa. Hæc ille.

122.
*Opposita
sententia
omnino tenenda est, ex
Sanchez.*

Est sententia communis, quam docet idem Hostiensis in Sum. tit. de Matrimonio contra interd. Eccles. ubi n. 3. in principio sic scribit:

*Eam docet
Hostiensis.*

Quid juris sit de Matrimonio contra interdictum Ecclesiæ contracto. Et quidem aut interdictum sit sine causa, & tunc nullum est interdictum; arg. inf. de Accusat. *Cum dilecti*, §. 1. Et ad finem ejusdem tit. hæc lego verba: Mihi videtur, quòd in hac quæstione curendum sit ad intentionem Papæ, qui ex causa reddit personas inhabiles ad contrahendum: nam sicut generalem super hoc condit constitutionem (scilicet ex causa) sic & specialem, & localem, & personalem. Si ergo intendit, quòd Matrimonium contra tale interdictum suum factum non valeat, nullum esse Matrimonium judicabo. Ita Hostiensis.

Eiq; subscribit Pontius lib. 6. c. 3. n. 1. dicens: Non est in hoc casu specialis aliqua difficultas; sed communis omni Principis legi, & ex eo principio decidenda; an lex vim habeat obligandi, nisi justa sit & rationalis: de quo in materia de Legibus latè. Nunc breviter dico, jus semper ex ratione æstimandum esse; & quemadmodum sine ratione justitia non est, ita neque jus. Ut enim Ulpianus in lege, *Ius civile*, ff. de Inst. & Iure: *Ius civile est*, quod neque in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit. Itaque cum aliud addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficitur.

123.
*Subscribit
Pontius.*

*Ius ex ratio-
ne æstimandum est.*

*L. 6. ff. de
Inst.
Quid sit
jus civile.*

Ex quibus verbis, ut inquit Mijfingerus Inst. de Iure naturali in principio n. 22. planè constat, humanum jus esse determinationem juris naturalis.

124.
*Humanum
jus est deter-
minatio ju-
ris naturalis.*

naturalis. Si igitur recedat in totum à jure naturali, non determinat, sed magis affingit aliquid incognitum naturæ, id est, ut Aristoteles ait: *Quod nullam causam in natura habeat.* Non ergo lex, sed quædam tyrannis & carnificina censenda est. Recedit autem à naturali jure lex, quæ ratione non nititur.

Qualis debeat esse lex, ex Isidoro. Rectè igitur scriptum est ab Isidoro in cap. 2. dist. 4. *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam &c. nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Quare quæ rationalis non est, neque jus, neque lex est; ac proinde, salvâ conscientia, ei legi non parere licet.

125. Vi quidem (inquit Donellus lib. 1. Comment. c. 5. vers. *Constitutio est*) fieri potest, ut pareamus, & jus etiam verbo dici potest; re autem ipsa nil nisi vis erit, jus non erit, Sed cur ea, quæ Princeps turpiter jubet vel prohibet, non dicantur jus, cum hæc sæpè jubeant severius, quàm honesta; jus autem appellatum est a jubendo? Verùm hic jussus pro jussu habendus non est, atque adeò reverà non est jussus: jubere enim est, jubere ut quid fiat, quod & fieri potest: quæ autem turpia sunt, ea nec facere posse credimus, l. *Filius*, ff. de Condit. instit. ibi: *Nam quæ facta ledunt pietatem, estimationem, reverentiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est.*

Lex injusta non est lex, ex d. Aug. Hinc scitè dixit August. lib. 1. de Libero arbitrio, c. 5. *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Et lib. 19. de Civit. c. 21. *Quod jure fit, justè fit, quod autem fit injustè, nec jure fieri potest; non enim jura putanda sunt vel dicenda iniqua hominum constituta.* Porro iniquum est prohibere vel irritare Matrimonium absque rationabili causa, ut constat ex dictis.

126. Hæc potestas (prohibendi vel irritandi Matrimonia) data est Superioribus (inquit Averſa sup. sect. 4. § *Fatendum tamen*) ad rectam & justam gubernationem & utilitatem subditorum: ergo deficiente justâ causâ non possunt validè subditos adstringere, & limitare eorum libertatem. Non tamen integrum esset quibuslibet privatis subditis adjudicare de justâ causa, si adfuerit. Quinimò regulariter præsumendum est pro lege, quando non constat oppositum. Hæc ille.

127. Et sanè (Prosequitur idem Auctor) de nullo impedimento admitti debet, fuisse unquam in Ecclesia absque justâ causâ constitutum. Et alioqui illi Auctores concedere deberent, peccare saltem Pontifices in quibusdam impedimentis constituendis: quod in re adeò solemnè & publica non nisi temerè cogitaretur. Ad summum ergo admitti debet, quasdam causas esse, non ita urgentes, sicut alias, esseque velut arbitrarias, quibus prudenter moveri potest Legislator si velit, non tamen eum vehementer impellant; & ita congruenter possit in unam vel alteram partem inclinare, ut legem condat aut auferat. Ac rursùm quasdam causas esse, quæ non semper in eodem statu persistant, quinimò

possint per alias successu temporis emergentes elidi. Quæ præcipuè ratione factum est, ut de quibusdam impedimentorum gradibus expediens aliquando fuerit constitui, & postea auferri. Hactenus Averſa.

Et sic patet solutio ad 2. argumentum oppositæ sententiæ, quam etiam prius adduxerat Sanchez sup. dicens: *Olim dum Ecclesia interdixit Matrimonium usque ad 7. consanguinitatis gradum, justam interdicendi causam habuit: at post successu temporis experientia docuit, expedire gradus restringere, ut dicitur c. Non debet, 8. de Consanguinit. & affinit. & ita ibi restricti sunt. Possent autem Pontifex etiam modò plures gradus prohibere, si judicaretur adesse novam causam plures interdicendi. Id autem non posse justè nec validè citra justam causam, affirmamus. Hæc ille.*

Transcribo ego verba d. cap. 8. ad majorem explicationem: *Non debet reprehensibile judicari (inquit Innoc. 3. in Concil. Generali Later. c. 50.) si secundum varietatem temporum, statuta quandoque variantur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in nova. Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo aut tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de sobole susceptâ ex secundis nuptiis, cognationi viri non copulandâ prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: cum cessante prohibitione, cesset effectus: constitutiones super hoc editas, sacri prohibitionis Concilij revocantes, præsentis constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cetero libere copulentur. Prohibitio quoque copula conjugalis, quantum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.*

Ubi Gioſſa verb. *Revocantes*, ait: *Gregorius tamen dicit: Qui dissolvit hæc genera affinitatis, negat verbum Dei in æternum manere, 35. q. 10. Fraternitatis, ultra medium, versus finem. Qualiter ergo Innoc. dissolvit? Hoc intellige sine causa, & ab alio, quàm a Successore Gregorij.*

Igitur ex causa potest Pontifex gradus restringere & ampliare. Neque hæc restrictio signum est, antea non fuisse necessariam aut utilem extensionem; sed tantum hodie cessasse illam necessitatem, aut utilitatem, quæ antea vehementer impellebant Ecclesiam ad prohibendum vel irritandum Matrimonium in tali vel tali gradu, quod non officit nostræ Conclusioni.

Nec obstat etiam exemplum dispensationis in propria lege, quæ facta sine causâ, quamvis illicita, tamen valida est. Nam in primis, apud me etiam est invalida, Sanchez autem sup. admissio eo exemplo, negat consequentiam. Et disparitas est; quòd lex permittens omnibus Matrimonium, sit naturalis: non valet autem dispensatio Pontificis in iis, quæ lege naturali obligant, facta sine justâ causâ; ergo nec interdictio Matrimonij in gradibus, jure naturæ concessis, non existente justâ causâ.

Olim erat justa causa interdicendi Matr. usque ad 7. gradum, hodie non, ex Sanchez.

128.

Textus c. 8. de Consang.

Deus aliquando mutavit suas leges.

Prohibitio copula conjugalis non excedit hodie 4. gradum.

129.

Ex causa potest Papa gradus restringere & ampliare.

130.

Pontifex nequit validè dispensare sine causa in lege naturali ex Sanchez.

Existente causa, personae particularis redduntur inhabiles.
 Sanchez. *Ea autem existente* (ut habet secunda pars Concluf.) *etiam persona particularis redduntur inhabiles*; scilicet ad Matrimonium contrahendum, vel pro aliquo tempore, & cum determinata tantum persona, vel etiam pro perpetuo, & cum quacumque persona. Ita docet Sanchez sup. n. 7. & 8, cum aliis quos citat.

131.
Probatur. Atque in primis, posse Pontificem existente iusta causa, v.g. magnae disparitatis inter contrahentes, & timoris discordiarum gravium, aliquos privatos reddere inhabiles, ut inter se Matrimonium ineamt, probat hic Auctor n.7. Quia si potest ex iusta causa reddere irritum Matrimonium inter omnes personas certi generis, ut inter omnes consanguineos usque ad quartum gradum, cur non poterit irritare inter duas privatas personas, ubi tam urgens fuerit causa, ut id postulet? Ita interrogat Sanchez. Et haec est sententia Hostiensis sup. allegati, ibi: Mihi videtur &c.

Est sententia Hostiensis.

132.
An etiam Navarri? Nunquid etiam Navarri? Lib. 4. Confil. in 1. edit. Tit. de Sponsal. toto Confil. 24. In 2. vero edit. tit. de Matrim. contr. cont. interd. Eccles. toto consil. 1. proponit hunc casum: Quidam juvenis filius nobilissimae ac illustrissimae familiae, ut praetenditur fascinatus, vult, invito ejus patre, cum muliere vilissima Matrimonium contrahere, non sine maximo ejus familiae dedecore. Quaritur modò; si ab ejus patre potest impetrari à Summo Pontifice motus proprius, per quem filio prohibeatur, ne per annum absque patris voluntate contrahat, & si contraxerit, sit irritum & inane, ad hoc, ut infra illud tempus videatur, si orationibus medicamentibus ab hujusmodi fascinatione liberari possit, aded quòd in se reversus, quod sibi & suae familiae convenit, faciat.

Ecce casus. Ad quem utique Sanchez, si ei propositus fuisset, indubiè respondisset, ab ejus patre posse impetrari à Summo Pontifice talem motum proprium. Sed quid putatis Navar. respondisse?

133.
Exponitur ejus iudicium.
Primò. Respondeo (inquit) primò, certum esse circa hanc quaestionem, quòd Papa summus Christi Vicarius potest iusta de causa Matrimonium interdicere alicui usque ad aliquod tempus, ut satis probat totus tit. de Matr. contrac. contra interd. Eccles.

Secundò. Secundò; hujusmodi interdictum inducere quidem impedimentum impediens Matrimonium contrahendum, sed non dirimens post contractum, ut ibid. probatur.

Tertiò. Tertiò; constare, quòd Papa potest facere legem, qua aliquod genus personarum fiat inhabile ad contrahendum, ut colligitur ex tit. de Consang. & Cognat. spirituali, & novissimè ex Concl. Trident. c. 1. de Reformat. Matr. sess. 24.

134.
Quarò. Quartò; rem sine exemplo esse, quòd Papa per suum interdictum particulare duas personas, alioqui habiles, faciat inhabiles ad contrahendum inter se Matrimonium, ita ut contractum sit nullum, & ita, mea sententia, indignam, quae petatur, & indigniorem, quae concedatur; arg.

c. Legatur, 24. q. 2. & cap. Si habet, 24. q. 3. cui consequens, praedictum motum proprium non debere peri, neque concedi.

Quintò; quòd videtur iuste & honestè interdicere posse Papam cuiuspiam Parocho & Ordinario, ne interessent, presentève essent, neve facerent facultatem sive licentiam alteri Presbytero, ut possit illi interesse, censuras & alias poenas imponendo eis, si contra fecerint; modò iusta causa id prohibendi subesset. Tum arg. c. fin. de Clandest. despons. Tum, quia habet potestatem summam prohibendi peccata & occasionem eorum, ut in hac ipsa materia satis exprimitur in praedicto tit. de Matr. contract. &c. & c. Præterea, de Sponsal. & d. cap. de Cland. despons.

Sextò; quòd praedicta fascinationis suspicio, proveniens ex tanta imparitate personarum, & ex tanto tanta familiae dedecore, & ex tanta pertinacia juvenis divitis & nobilis in deligendis nuptiis aded indecoris, & timor, quòd poenitentia, quae illos de more consequetur, possit esse occasio, ut illa vel ferro occidatur, vel veneno, videntur iustae causae, ut S.D.N. prohibere dignetur sub censuris & poenis gravissimis Parocho praedictae mulieris, qui nunc est, & qui mutato domicilio foret, & Ordinario ejus, ne interessent hujusmodi nuptiis, nec aliis Presbyteris facultatem in eis interveniendi facerent intra annum, ad effectum pium in quaestione propositum: quia quae causa in hoc iusta sit, cum non definiatur à jure, arbitrio prudentis & boni viri definiendum est, l. 1. ff. de Jure delib. & cap. de Causis, de Offic. deleg. Usque adhuc Navar.

Ubi, ut colligitur ex 4. resp. nihil decidit de potestate Pontificia, circa hoc impedimentum dirimens statuendum; sed praescindendo ab eo, quòd Pontifex possit, vel non possit, solum dicit, nullo pacto expedire, ut id fiat.

Quòd etiam clarius significat consil. 2. eod. tit. n. 3. ibi. Non memini legisse apud aliquos, qui testarentur aliquem Summum Pontificem id unquam tentasse: & ideò licet in ea essem opinione, quòd de absoluta potestate possit hoc facere (puta constituitur hoc impedimentum dirimens) non tamen facilè mihi persuaderem, quòd conveniret ut praeciperet fieri hoc aetate nostrà, in qua multi (proh dolor) multa etiam vetera praeccepta ejus aegrè suscipiunt. Haec ille. Igitur non negat absolute possibilitatem seu potestatem, sed solum convenientiam usus potestatis, idque maximè propter non usum usque ad tempora Navarri.

Qui utique si usum vidisset, aliter locutus fuisset. Vidit illum Additionator Navarri, sic scribens in sine d. Consilij primi: Advertendum tamen temporibus nostris Papam ex causa praedictae consimili, inhabilitasse quamdam Illustriss. personam ad contrahendum cum quadam muliere: itemque & quemdam, qui ut eluderet sponsalia de futuro, pro quibus lis movebatur, tentabat cum alia contrahere Matrimonium de praesenti. Timebantur enim in utroque casu

Quintò.

Sextò.

136.

Navar. nihil decidit de potestate Papa.

Negat convenientem usum potestatis.

Maximè propter non usum suo tempore.

137.

Nostr. tempore? papa usu suis illa potestate.

ncq

non levia scandala. Ita Additionator.

Auctor cum alijs concedit illam potestatem Pontifici.
Cumque Navarrus non adferat aliquam rationem urgentem, ad negandam Pontifici ejusmodi potestatem, malumus ipsi eam concedere; prout etiam concedit Pontius sup. n. 3. Coninck disp. 30. dub. 1. conclus. 4. Aversa sup. 5. Deinde dubitatur. Dicast. sup. n. 31. Herinx disp. 6. n. 9. Eo semper salvo, ut adfit justa causa, v. g. speciale delictum talium personarum, grave scandalum, vel damnum ex tali Matrimonio oriturum &c.

138. *Quæ sint justæ causæ relinquuntur arbitrio prudentis, ex Dicastillo*
An verò (inquit Dicastillo sup.) in hac vel illa occasione pensatis circumstantiis sit causa sic sufficiens, vix, imò ne vix quidem, potest aliqua generalis regula ad id dignoscendum præscribi, quin omnia pendeant ab arbitrio prudentis. Varios casus adferunt aliqui, sed in illis ipsis, quando venitur ad rem, difficultas est in multis circumstantiis expendendis, an ibi sint omnia prudenter requisita. Legatur ibi Diana (part. 8. tr. 1. resol. 60.) & Auctores, quos ibi refert, & videbit lector (ni fallor) in quovis casu pendere rem totam à personalibus circumstantiis, & à loco, tempore, natione, nobilitate, capacitate, vehementi inclinatione & periculo spiritali, tum contrahentium, tum eorum, quorum interest, ut Matrimonium contrahatur, aut impediatur, aut differatur.

139. *Est potestate utitur Papa tam pro uno, quam pro communitate.*
Itaque solum puto cadere sub doctrinam Theologi & Jurisperiti, quòd possit Papa (quidquid aliqui reclamant) ex causa impedimentum etiam dirimens inducere; non tamen cadere sub scientiam, regulam generalem tradere, quæ doceat, causam, ab innumeris circumstantiis pendentem, pro casibus occurrentibus esse sufficientem. Itaque puto eadem potestate posse uti Papam pro uno, atque pro communitate, quia non apparet ratio, cur non possit. Ipse tamen viderit, an tunc subsistat causa. Hæc ille.

Planè Pontificis est, id videre, ne illicitè juxtà ac invalidè utatur suâ potestate, quod absit præsumere. Et quidem, ut sup. dixi ex Ruaro Tappero, major causa requiritur ad irritandum Matrimonium, quam ad simpliciter prohibendum. Itemque, major causa requiritur ad irritandum Matrimonium cum quacunque persona, idque pro perpetuo, quam cum hac determinata, aut pro aliquo tantum tempore.

140. *An Papa possit personam aliquam pro perpetuo reddere inhabilem.*
Urgentior (inquit Sanchez sup. n. 8.) difficultas est, num integrum sit Pontifici, justâ subsistente causâ, personam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium, quæ jure naturali habilis erat. Nam in casu præmissis, illi, qui à Pontifice reddebantur incapaces Matrimonij, inter se ipsos incundi, non adstringebantur ad vitam cælibem traducendam; poterant enim ad alias transire nuptias. In præsentem autem, persona hæc cogere ad perpetuam continentiam, cum tamen ad illam nemo, absque proprio consensu, astringi possit, c. *Integritas*, 22. q. 1. nec privari Matrimonio, quod in remedium concupiscentiæ natura ipsa indulgit. Ita Sanchez.

Et ecce ratio dubitandi. Quâ tamen non obstante, Sanchez ibid. docet, etiam in eo casu id licere Pontifici, dummodò existat rationabilis causa. Audite ipsum pro se loquentem: Alexander (inquit) de Nævo cap. *Tuas*, n. 17. de Sponsa duorum, refert ex Calderino ibi, Urbanum 5. reddidisse inhábiles ad Matrimonium ineundum Barnabonem Vicecomitem & Dominum Mediolanensem, ac liberos ejus rebelles Ecclesiæ; & tunc agitâ hinc inde quæstione de potestate hac Pontificia, Calderinum sustinuisse, id integrum esse Pontifici, quod idem sustinet Alex. de Nævo ibi. Et ita tenendum est.

141. *Probatur*
Quàmvis enim jus naturæ concedat cuilibet Matrimonium: at potest Pontifex in gravissimi delicti pœnam eo jure quemquam privare, reddendo ipsum inhábilem, sicut posset capite plectere, aut in servitutem redigere, privando libertate, à natura concessâ.

142. *Confirmatio*
Insuper: si potest Pontifex in pœnam delicti, impedire perpetuò Matrimonium, ita ut citra culpam læthalem iniri minimè valeat, ut de facto impeditur propter incestum, & quædam alia crimina: ubi gravitas delicti id exegerit, cur non poterit ita alicui interdicerè Matrimonium, ut contra prohibitionem initum efficiatur invalidum? Pontificis enim potestas non arctata est ad sola impedimenta Matrimonij impediencia, sed ad dirimentia quoque extenditur. Hæc tamen Sanchez.

Cui libenter, cum aliis Auctoribus sup. allegatis, subscribimus. Nec video, quid dignum solutione possit objici, quod hic vel alibi non est objectum vel solutum. Solum addo: quòd jam dictum est de inhabilitandis personis particularibus per Pontificem, intelligendum etiam esse de aliis Principibus sive fidelibus, sive infidelibus, comparatione suorum subditorum, quibus in genere, juxtà superius dicta, possunt statuere impedimenta dirimentia Matrimonium.

143. *Papa interdicente suo præcepto aut constitutione Matrimonium, eo ipso reddatur irritum, si contra eam prohibitionem ineatur?*
Si autem à me quæritur: an Pontifice interdicente suo præcepto aut constitutione Matrimonium, eo ipso reddatur irritum, si contra eam prohibitionem ineatur?

Respondeo citius negativè: quippe ut docetur in Tract. de Legibus, ut lex actum, quem prohibet, etiam irritare censeatur, necesse est, ut contineat clausulas expressè irritantes; vel eo sensu sit usu recepta; vel concedat potestatem actus, non solum appositâ conditione, sed etiam conditionatè; vel denique prohibeat actum ratione effectus permanentis. Jam autem fieri potest, ut præceptum aut constitutio Pontificis interdicens Matrimonium, nèque contineat clausulas expressè irritantes; nec eo sensu sit usu recepta; neque concedat potestatem actus conditionatè; nec denique prohibeat actum ratione effectus permanentis.

144. *Probatur, quòd non omnis lex prohibens sit irritans.*
Et sanè, quòd non omnis lex, prohibens aliquem actum, ex vi verbi, seu ex sola natura rei, eum quoque irritet, satis constat ex eo, quòd prohibere actum, & irritare illum sunt effectus valde diversi, quippe prohibere, solum est præcipere

Affirmat Sanchez.

141. Probatur

Confirmatio

142. Auctor subscribit Sanchezio.

143. Papa interdicente suo præcepto aut constitutione Matrimonium, eo ipso reddatur irritum.

144. Probatur, quòd non omnis lex prohibens sit irritans.

cipere & obligare, ut actus non fiat: irritare autem non est præcipere, sed facere; scilicet reddere inefficacem voluntatem vel consensum ejus, aut inhabilitare personam. Ergo ut per legem fiant hi effectus, debent per ejus verba sufficienter explicari: sed per solum verbum *Prohibendi*, non explicatur effectus irritandi; ergo non fit talis effectus ex natura rei per legem, utentem purè & simpliciter verbo *Prohibendi*, quantumvis directè & specificè actum prohibeat.

Liquet profectò, sæpè sæpiùs hos duos effectus à se invicem separari, ut patet, ne extrà propositum divagemur, in impedimentis Matrimonij, quæ prohibentia seu impediencia nuncupantur, superius in principio Sect. enumerata, tam juris naturæ, quam Ecclesiastici. Licet enim Matrimonium illicitum reddant, minimè tamen invalidum, juxtà illud cap. *Ad Apostolicam*, 16. de Regular. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Imò aliquando prohibetur actus, qui invalidari non potest, ut cum alicui Sacerdoti prohibetur ne sacrificet, aut Episcopo, ne ordinet. Ergo valdè diversi sunt effectus prohibere actum, & irritare illum. Ac proinde manifestum est, legem, quæ utitur solo verbo, *Prohibendi*, seclusis extrinsecis circumstantiis, præcisè ex significatione illius verbi, non irritare actum quem prohibet.

Quo ergo fundamento dici potest, præceptum personale, vel legem Pontificis, quo simpliciter prohibet personis particularibus, vel quæ interdicit simpliciter alicui generi personarum Matrimonium, eo ipso ex vi seu natura illius prohibitionis, seclusis aliis circumstantiis, illud Matrimonium efficere irritum?

146. Igitur ut præceptum personale vel lex Pontificis, quo vel quæ prohibetur Matrimonium, simul id ipsum irritet, oportet ut contineat vel clausulas expressè irritantes vel usu ut irritans observetur, vel prohibeat ratione effectus permanentis.

Hæc latius deducta, legere poteris apud Suarezium lib. 5. de Legibus c. 25. & 26. Nam (ut notat Pontius lib. 6. c. 3. n. 2.) hæc communis difficultas est, quæ ex eâ questione pendet, ex quibus verbis Legislatoris colligatur actum esse irritum, si contrà legem fiat, & ex eo principio decidenda. De quo DD. latè in materia de Legibus, & juris Interpretes in l. *Non dubium*, Cod. de Legibus: Hæc ille.

147. Impresentialium tantum addo: Sanchium lib. 7. disp. 2. ubi fusissimè tractat de hac controversia, plus aliquid requirere, ut Matrimonium sit irritum, quam benè alii contractus, eò quòd Matrimonium sit res gravissima. Sic ergo scribit sup. n. 9. Cum Matrimonium sit res adeò ardua, & gravissimum negotium sit illud irritare, specificam clausulam poscit. Ad sponsalia vero irritanda, non desideratur ea clausula specifica, sed satis est generalis, cum ea irritare non sit res tanti momenti.

Et n. 11. ait: Similiter erit validum (Matrimonium) quamvis sit decretum generale irritans.

tans, & non referens se specificè ad Matrimonium. Ut si Pontifex, interdicens Matrimonium, addat: si quid contrà gestum sit fore irritum & inane. Quare tunc clausula illa irritans debet intelligi, ut contrà gestum non valeat in præjudicium alicujus.

Item n. 12. Si clausula decreti irritantis faciat specificam Matrimonij mentionem, id irritans, si contrà prohibitionem initum sit, distinguendum est, num causa sit temporalis (ut ob dici venerationem, vel ob litem pendentem) an perpetua (utpote quæ ad nullum tempus restricta est) ut priori casu Matrimonium non reddatur irritum; sed sensus sit, ut Matrimonium sit nullum, non simpliciter, sed in quantum parat præjudicium alicui liti, ob cujus pendentiam est ad tempus interdictum: posteriori autem, irritum reddatur. Quia cum Matrimonij irritatio sit res gravissima, non censenda est inducta ex tali clausula, adjecta prohibitioni ob causam temporalem; sed juxtà merita causæ dimetiendum est, an sit irritatio absoluta, an potius quoad peculiarem effectum. Hæc ille.

149. Ex quâ doctrinâ videtur sequi (inquit Coninck sup. n. 11.) absolutè irritum fore, si verè fuit contractum in præjudicium tertij, quia hæc causa ex se est absoluta & perpetua. Quia tale Matrimonium nec contrahi, nec continuari potest sine perpetuâ injuriâ illius tertij, quæ tolli nequit, nisi aut Matrimonium solvatur, quod fieri nequit, postquam semel validè contractum fuit; aut nisi læsus cedat omni jure suo, & injuriam remittat, quod est planè per accidens: nec valor Matrimonij à conditione futura contingenti pendere potest.

Quod si postea non reperiat ullum impedimentum, aut præjudicium tertij, judicabitur Matrimonium ab initio fuisse validum. Ratio est; quia talis clausula admittit facilè hunc sensum, nec sine urgente necessitate Matrimonij absoluta irritatio admittenda est, cum res gravissima sit. Hæc ille.

150. Addit autem paucis interjectis: Quæ probabilia sunt, sed magis nituntur quâdam Epicicèia, ac probabili DD. sententiâ, quam certâ ratione, quæ in re satis obscurâ, nobis sufficere debet: quare pluribus hæc non disputo.

Neque nos volumus pluribus disputare; sed Sententia tantum intelligere sententiam Averse de hac controversia. Itaque q. 10. sect. 2. sic scribit: Fatendum tamen potius est, in univèrsam quando Pontifex in suo interdicto, præter prohibitionem, addit etiam clausulam irritantem, reverà Matrimonium non solum fore illicitum, sed etiam fore irritum; & hujusmodi interdictum non solum esse impedimentum prohibens, sed etiam dirimens.

151. Suadetur facilè; quia talis clausula irritans planè demonstrat intentionem Pontificis, ut si tale Matrimonium contrahatur, sit nullum & irritum; & utique aliquid addit supra simplicem prohibitionem, nempe nullitatem. Cum ergo in Pontifice sit potestas dirimendi, & addit justa causa, in hoc enim casu loquimur, omninò reddatur

Sæpè separatur prohibitio ab irritatione.

145. Aliquando prohibetur actus, qui invalidari non potest.

146. Quæ si contrariè sit lex Pontificis irritet.

147. An plus requiratur, ut Matr. sit irritum, quam alij contractus, ex Sanchez.

An sufficiat decretum generale irritans.

148. An causa prohibitionis debeat esse perpetua.

149. Quæ si fuerit contractum in præjudicium tertij, ex Coninck.

150.

151. Probans clausulam irritantem in univèrsam annullare Matr.

ditur Matrimonium nullum & irritum.

Quam
clausu-
lam irritan-
tem.
152.
Occurritur
objectioni.
Non oportet
distinguere
si causa sit
perpetua, aut
temporalis.
153.
Neque si
clausula sit
specialis aut
generalis.
Pontius.
154.
Hac viden-
tur Auctori
magis pro-
babilia.

Clausulam verò irritantem dicimus, quæ intel- ligatur ipso facto, utpotè dicendo: *Sit irritum, sit nullum*, aliòve modo simili. Hic enim loquendi modus non denotat solum separationem conjugum quoad torum, sed totalem Matrimonij nullitatem. Si autem Pontifex diceret de futuro, *Tale Matrimonium erit irritandum, poterit irritari*; tunc debet intelligi tantum de separatione conjugum quoad torum, quia supponeretur Matrimonium fuisse validum, in quo proinde nõ potest cadere talis dissolutio sed tantum separatio quoad torum.

Neque valet dicere, fortius esse vinculum Matrimonij, quam interdictum Papæ: siquidem verè potest Papa ponere impedimentum dirimens Matrimonium, ut patet de tot aliis impedimentis dirimentibus.

Neque oportet distinguere, si causa prohibitionis sit perpetua aut temporalis. Nam quàmvis sit solum temporalis, potest adhuc prudenter Pontifex decernere, ut quamdiu durat talis causa, si contrahatur Matrimonium, sit nullum & irritum. Sicut de facto Conc. Trident. ita instituit impedimentum raptus, ut quamdiu rapta maneat in potestate raptoris, sit irritum Matrimonium, si contrahatur. Si ergò verba Pontificis sufficienter eundem sensum reddant in quacumque alia causa temporalis, pariter irritum redditur Matrimonium, si tunc contrahatur.

Rursus non oportet distinguere, si clausula irritans sit specialis, aut tantum generalis, dummodò, inquam, sit sufficienter expressiva. Nam dicendo ne contrahatur Matrimonium, & irritum sit quicquid contra fiat, utique nihil magis potest intelligi irritum reddi, quam ipsum Matrimonium, quod interdicatur. Et licet Matrimonium sit res adeò ardua & gravis, tamen dum Pontifex illud justè prohiberet, & irritum faceret, quicquid contra hanc ejus prohibitionem tentaretur, jam satis explicaret, se irritum reddere ipsum Matrimonium. Ita Averfa cum Pontio, lib. 6. c. 7. n. 5. & aliis, quos citat.

Quæ magis nituntur ratione, quam Epicæia, & ideò magis probabilia existimo. Eo semper salvo, ut optima legum interpret permaneat consuetudo, quæ hic maximè attendenda est, & facere potest, ut lex, quæ alioquin sonat simplicem prohibitionem, censeatur debeat irritans, & è converso, quæ sonat irritationem, habenda sit pro simpliciter prohibente absque irritatione.

Nunquid ergò, dicit aliquis, per consuetudinem potest constitui impedimentum dirimens Matrimonium, aut etiam hujusmodi impedimentum abrogari? Pro responsione instituitur

CONCLUSIO V.

Consuetudo inducit & abrogat impedimenta juris humani.

155.
Consuetudo non prescri-

Addo *Iuris humani*; quia nullum est jus naturale aut Divinum positivum, contra

quod consuetudo præscribat, id est, quod con-
suetudine abrogetur, ut omnes fatentur. De ju-
re naturali expressè habetur cap. ult. de Con-
suetudine in principio: *Cum tantò sint graviora
peccata, quanto diutius infelicem animam detinent
alligatam, nemo sane mentis intelligit, naturali juri
(cujus transgressio periculum salutis inducit) quã-
cumque consuetudine (qua dicenda est verius in hac
parte corruptela) posse aliquatenus derogari,*

Ubi Gloss. verb. *Juri naturali*, inquit: *Quod
immobile perseverat*; §. dist. 5. Sed cum jus natu-
rale, 25. q. 1. c. Sunt quidam. *Et hoc verum est,
quantum ad præcepta vel prohibitiones, quæ moralia
sunt, & non mutantur*: ut, Non occides. Non
furtum facies. Honora patrem, &c. 6. dist. Non
est, §. His itaque. *Et naturalia quidem jura im-
mutabilia sunt, civilia verò mutabilia, Instit. de Iu-
re naturali. §. Sed naturalia, inside Consang. &
affin. c. Non debet: & ideò nulla consuetudo præ-
valet contra jus naturale, etiam si omnes homines de
mundo contra facerent*, 32. q. 7. Flagitia.

Ratio est: quia consuetudo habet omnem
vim suam ex voluntate humana, quæ, ut con-
stat, non potest prejudicare voluntati Divinæ,
ad quam spectat lex naturalis, & Divina positi-
va. Sed neque jus Divinum usquam disponit, ut
consuetudo possit contra legem naturalem aut
Divinam positivam prævalere: immò & jus Di-
vinum & humanum disposuerunt contrarium.

De humano patet ex d. cap. fin. & similibus
textibus, tã Canonicis, quàm civilibus, quos bre-
vitat gratiã (quia res non est propria huic loco) præ-
tereò. Divinum autem expressum habemus
Matth. 15. v. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei
propter traditiones vestras*. Et Mar. 7. v. 8. *Relin-
quentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem
hominum, &c.*

Igitur non habemus aliquod fundamentum
seu indicium, rationabiliter præsumendi, Deum
velle legem suam abrogari per consuetudinem
oppositam. Sed neque id erat expediens, aut Di-
vinam decens auctoritatem, ut per se patet. Cum
ergò sint aliqua impedimenta, quæ jure naturæ
seu Divinò, vel prohibent, vel etiam dirimunt
Matrimonium, liquet profectò, quòd ejusmodi
nequeant per consuetudinem abrogari, *est om-
nes homines (ut sup. loquitur Gloss.) de mundo
contra facerent.*

Et ideò posui in Conclus. *Iuris humani*;
quia de his solis impedimentis, quæ vel prohi-
bent, vel irritant Matrimonium jure humano,
impræsentiarum agimus, & hujusmodi impedi-
menta posse induci atque abrogari consuetudine,
asserit nostra Conclusio, intelligendo consuetu-
dinem rationabilem & legitime præscriptam,
juxtà illud d. cap. fin. de Consuet. *Licet etiam fin. de Con-
longava consuetudinis non sit vilis auctoritas, non ra-
men est usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat
præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legi-
time præscripta.*

Ergò si fuerit rationabilis & legitime præ-
scripta, juri positivo debet præjudicium genera-
re, ut docet Gloss. verb. *Legitime sit præscripta*,
in fine, ibi: *Sic ergò intellige, quòd consuetudinis*

bit contrà jus
naturale
aut divi-
num, ex cap.
fin. de Cons-
uet.

156.
Probatur ex
ratione,

Item ex
script. Mas-
th. 15. &
Mar. 7.

157.
Consuetudo
ut abroget
vel inducat
legem debet
esse rationa-
bilis & præ-
scripta, ex c.
fin. de Con-
suet.

non est vilis auctoritas: tamen non vincit jus positivum illa particularis consuetudo in eo loco, ubi est consuetudo, nisi fuerit rationalis & legitime sit præscripta, tunc bene vincit jus, & ei præjudicat.

158. Quod autem hujusmodi consuetudo possit etiam legem instituere, patet ex diversis cap. eod. tit. & Cod. Quæ. sit longa consuetudo, per totum. Item. l. 32. ff. de LL. De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est. In veterata consuetudo pro lege non immerito custoditur (& hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum) Nam cum ipsa leges &c.

159. Legitur consuetudo rationalis & legitime præscripta inducit leges, & abrogat; cumque impedimenta Matrimonij, ut dictum est in principio Sectionis, non sint aliud, quam leges prohibentes, vel etiam dirimentes, quid ni consuetudo possit impedimenta Matrimonij inducere & abrogare? Cum enim jura jam allegata generaliter loquantur, nec excipiant leges Matrimoniales, aut Sacramentales, quo fundamento Aliqui volunt eas excipere?

In hoc (inquit Pontius lib. 6. c. 4. n. 2.) non eodem modo Iuris Canonici DD. locuti sunt. Variis enim distinctionibus rem istam obscurarunt, dum explicare conantur. In primis Hostiensis sentit, consuetudinem, dummodo approbata sit à Pontifice, dirimere & impedire in omnibus iis casibus, in quibus impedit vel dirimit Canonica institutio, cap. i. de Cognat. spirit. & cap. Super eo, eod. & cap. Quod dilectio, de Consang. & affin. At si consuetudo nec improbata est, nec approbata à Pontifice, impedire, non tamen dirimere.

160. At Panormitanus in cap. Super eo, citato sub alia distinctione respondet: inquit enim, si consuetudo reddat habiles eos, qui sunt aliàs inhabiles, nullius esse momenti, neque considerationis, constat ex d. c. Super eo, & cap. Quod pro iis, de Consang. & affin. cum ea consuetudo sit reprobata ut irrationabilis, & contra legem & æquitatem; si autem inhabilitet alias habiles, valet; d. cap. Super eo, & cap. Olim, de Cler. conjug. Aut etiam consuetudo dissolvit ad tempus, & tunc quoque valet. Quod si in perpetuum dissolvat Matrimonium, nulla est, nisi vel tacite vel expresse probetur à Papa. At si non constat de ejus approbatione, respondet Panormitanus esse sub distinctione dicendum: si enim scandalum adfit, valet consuetudo: quia sicut Papa potest Divinum jus interpretari, ita & consuetudo.

161. Præterea, Gloss. in d. c. Super eo, & alij ibidem sub alia distinctione respondent. Dicunt enim: Quando consuetudo sine scandalo omitti non potest, & aliàs concurrat cum eo, quod antiquo jure statutum erat, ut si esset consuetudo de non contrahendo in 6. vel 7. gradu, quod olim etiam statutum jure fuit, observandam esse, vel si probetur à Papa, etiam si non concurrat: at si nec probetur à Papa, nec concurrat cum antiquo jure, non posse impedimentum inducere.

161. Denique Tho. Sanchius de Matr. lib. 7. disp. 4. n. 11. & 14. existimat, consuetudine induci posse impedimenta, quæ inhabiles reddant aliàs habiles, & è converso, dummodo ea consuetudo sit mixta Laicorum & Clericorum. Nec verò esse necessariam approbationem Pontificis, nec tacitam, nec expressam, sed satis esse generalem illam approbationem, quæ cap. fin. de Consuetudine dicitur, per consuetudinem posse legem abrogari & novam induci. Ecce diversæ sententiæ, quas breviter retuli ex Pontio, easque longius deductas legere poteris apud Sanchium disp. mox citatâ.

162. Cæterum (inquit Pontius sup. n. 6.) frustra Doctores isti his distinctionibus usi sunt, cum res ista decidenda sit juxta generalia principia in materia de Consuetudine. Quare ea impedimenta, quæ ex juris Ecclesiastici dispositione proveniunt, abrogari posse contrariâ consuetudine, & alia etiam induci, tam certum esse debet, quam certum est abrogare legem posse, & contrariam induci: immò & nonnulla impedimenta dirimentia inducta esse consuetudine tantum, hoc est, consuetudinem obtinuisse, ut dirimerent, quæ tantum impediabant, asserunt DD. non pauci. Id tamen verum erit, dummodo concurrant ea, quæ necessaria sunt, ut consuetudo legem abrogare possit & inducere. Hæc Basiliius.

163. Quæ vera existimo. Sed quæstio manet; an consuetudo in hac materia, possit esse rationalis & præscripta. Si enim nequeat talis esse, liquet, nec inducere posse impedimentum, etiam solum prohibens, neque abrogare.

164. Si autem à me quaeritur: & verò quam consuetudinem dicis rationabilem? Respondeo: illam dico rationabilem, quæ non pugnat cum jure naturali aut Divino & nititur ratione judicio prudentis; ratione, inquam, tali, propter quam Legislator non solum validè, sed etiam licitè possit legem instituere, aut prius institutam revocare.

165. Non ergò omnis consuetudo mala est irrationabilis; sed illa, quæ est mala ex parte objecti aut actûs, prohibiti per legem Divinam; secus quæ solum est mala ex parte actûs, prohibiti per legem humanam; hic quippe actus ex objecto suo non est malus, & potest occurrere ratio, quare Legislator licitè possit, quamvis non debeat, prohibitionem revocare; siquidem non omne, quod potest Princeps præcipere aut prohibere, semper debet præcipere aut prohibere; possunt enim ab utraque parte esse rationes probabiles: imò plerumque in rebus moralibus seu politicis sunt rationes pro & contra.

166. Interrogas rursus: sed enim quam consuetudinem dicis legitime præscriptam? Illam, quæ per certum temporis spatium fuit observata. Quod autem illud temporis spatium sit, variant DD. Alij existimant spatium quadraginta annorum; Aliqui decem annorum inter præsentis, 20. inter absentes; Quidam decennium putant sufficere, etiam inter absentes; idque non solum pro lege civili, sed etiam Ecclesiastica: denique

158. Probatur consuetudinem posse legem inducere.

159. An requiratur approbatio Pontificis, ut impediat vel dirimat Matrimonium. Pontius. Hostiensis.

160. An inhabiles possit reddere habiles: & contra. Panormitanus.

An debeat concurrere cum antiquo jure ut impedimentum inducat.

161. An debeat esse mixta laicorum & clericorum, ex Sanchez.

162. Sententia Pontij.

Approbatur.

163. Quæ sit consuetudo rationabilis.

Non omnis consuetudo mala est irrationabilis.

164. Quæ sit consuetudo præscripta.

denique sunt, qui requirant tempus immemorabile.

Iure non determinatur aliquod tempus in præscriptione legum.
Dico ego, neque in iure civili, neque in iure Canonico determinatur explicitè aliquod certum tempus seu spatium annorum, ut consuetudo sit legitime præscripta; sed bene ad præscriptionem propriè dictam sive præscriptionem rerum.

165. *Dispar est ratio præscriptionis rerum & legum.*
Dispar autem est ratio præscriptionis rerum seu dominiorum, & præscriptionis legalis. Nam præscriptio legalis per consuetudinem introduci potest contra legem humanam, actibus à principio iniustis, & cum mala fide. Præscriptio autem dominiorum introduci non potest, nisi actibus à principio iustis, & cum bona fide. Unde mala fides in præscriptione legali purgari potest, secus in præscriptione dominiorum.

Quare non valet præscriptio rerum cum mala fide.
Cujus ratio ea est: quia cum hæc præscriptio auferat dominium à vero domino, sola concessione legis, ut lites & contentiones evitentur, necessarium fuit, ut hoc tantum concederetur possidenti rem alienam à principio bona fide. Nam si mala fide quis rem alienam inciperet possidere, iniquum esset, ut ei concederetur ejus rei dominium; aliàs facile esset rem alienam rapere, & antiquo tempore præscribere. Quamvis ergo lex humana rectè potuerit jus præscriptionis constituere; non tamen potuit illud concedere, rem alienam mala fide possidentibus.

166. *Serius præscriptio legit.*
At verò, ut consuetudo legem vincat (inquit Pontius sup. c. 5. n. 3.) non habet ex virtute propria, sed ex accedente consensu Principis tacito vel expresso, qui potest legem suam abrogare; ac proinde, etiam si usus incipiat mala fide, ex superveniente tamen consensu Principis, efficitur licitus, & mala fides purificatur lege antiqua cessante. Hæc ille, ex Vasquezio 1.2. disp. 177. c.7. n. 64. & 65. Qui ambo Auctores in illa sunt sententia, quod ad præscriptionem legalem requiratur scientia Principis.

Pontius.

167. *Vasquez requirit ad præscriptionem legis, notitiam Principis.*
Vasquez sup. n. 20. sic scribit: Præterea; quod Recentiores nonnulli dicunt, ea conditione leges à principio ferri, ut longi temporis usu, etiam ignorante ipso Principe tollantur, & hunc esse tacitum consensum Legislatorum, non minus sine fundamento pronuntiantur. Nullus enim Princeps adhuc suam mentem hoc modo declaravit, aut si rogaretur, declararet; nulloque jure à quoquam Legislatore pro se & suis lucessoribus ita cautum est.

168. *Probatio.*
Ut autem judicemus consuetudine legem tolli, necesse est in contrarium usum Principem aliquo modo consentire; vel quia ita sua lege aut antecessoris statutum generatim sit, vel quia sciat & videat usum; alioqui, quo pacto consensum ejus aliquo modo, etiam tacitum, interpretabimur? Sine ullo autem consensu Principis, consuetudinem contra legem vim habere non posse, manifestè ex dictis colligitur, cum ejusdem sit potestatis legem condere, & eam abrogare.

Occurrit objectioni.
Neque obstat, quod adducitur ex cap. ultimo de Confect. ubi nihil aliud requiritur pro consuetudine, nisi ut sit rationabilis & legitime præ-

scripta: nam cum dicitur, *Legitime præscriptas* intelligitur etiam ut sit consensu Principis confirmata; ut autem eo sit confirmata, debet ipsi Principi esse nota; neque Adversarij ullo modo oppositum vel leviter probare possunt. Hactenus Vasquez.

Quem sequitur Pontius sup. c. 6. n. 7. dicens: In eo cap. fin. solum traditur generalis doctrina, quæ explicat vim consuetudinis, approbata à Principe. Sicut ergo re ipsa, ut sæpe contingit, non omnis consuetudo probatur à Principe; sed aliæ approbantur, aliæ tantum permittuntur, non potest ob universalem illam doctrinam, in quavis consuetudine presumi approbatio.

Et cum consuetudo specialis quædam tacita lex sit, specialis etiam Principis consensus præsumendus est circa materiam illam; sicut & requiritur, ad leges aliquas in speciali ferendas. Nec præsumi potest, nec debet, solo illo generali jure explicato in d. cap. finali voluisse Principem tacitum suum consensum in quavis speciali consuetudine præsumi posse, cum multis consuetudinibus sese opponat. Non igitur præsumendus consensus, nisi præsumatur etiam specialem illam consuetudinem ad ejus cognitionem devenisse, & approbatam esse.

Neque sine fundamento juris, & rationis (ut Suarez existimat) illum specialem consensum exigimus. Quamvis enim in d. c. fin. non exprimitur ad valorem consuetudinis requiri, habetur tamen in illis verbis. *Legitime præscripta.* Hæc ille.

Sed hoc est quod quæritur; an in illis verbis: *Legitime præscripta*, intelligi debeat specialis confirmatio Principis, & si hi Auctores affirmando probant, alij negando reprobant. Et non solum negando reprobant; sed hoc etiam medio positivè probare conantur, non intelligendam esse in illis verbis specialem consensum seu confirmationem Principis; quia, inquiunt, Principe sciente, & tacite vel expressè consentiente, etiam unus actus contra legem potest eam revocare, & per unum actum nova lex potest institui; ergo illa revocatio, seu institutio legis, non competit consuetudini seu frequentationi actuum per longum tempus, ratione taciti vel expressi consensus Principis, scientis consuetudinem; sed ratione generalis consensus inclusi in d. c. fin. de Confect.

Pro quo nota: consensum Principis, qui ab omnibus admittitur necessarius ad legalem præscriptionem, duobus modis posse intelligi; unum voco (inquit Suarez lib. 7. de LL. c. 13. n. 6.) personalem; quia datur à persona Principis vel expressè consentientis, vel antecessenter dando licentiam ad introducendam consuetudinem, vel consequenter, aut concomitanter approbando illam, aut expressè, aut videndo & non impediendo.

Alium vocare possumus consensum legalem seu juridicum; quia non datur personaliter à Principe, sed per ipsum jus. Quia si Princeps statuit legem, ut consuetudo, habens illas vel il-

169.
Idem sentit Pontius.

Requiris specialem consensum Principis.

170.
Et putat, quod non sine fundamento. Suarez.

Reprobatur fundamentum.

171.
Duplex est consensus Principis, unus personalis, unus legitimus. Suarez

las conditiones, valeat, ex tunc consentit, & in particulari applicatur ille consensus ad similes consuetudines, quando introducuntur in virtute illius legis. Hæc ille.

172. *Posterior sufficit secundum Suarez. Probatio.*
Et actutum subjungit suam sententiam de præsentis controversia hisce verbis: dicimus ergo non semper esse necessarium consensum priori modo præstitum à Principe, sed posteriorem sufficere. Probatur: quia lex semper loquitur, & non minus efficax est voluntas Principis, per legem loquens, quam immediatè per se volens aut præcipiens.

Non requiritur specialis scientia, ex eod.
Ex quo inferit n. 7. quando consuetudo præscripta jus inducit, tunc non postulare consensum personalem Principis; ac subinde nec specialem scientiam ejus de tali consuetudine, sed ipso nihil de novo sciente, aut volente tacitè vel expressè consuetudinem efficaciter induci. Hæc est (inquit) communis sententia Jurisperitorum.

173. *Fundamentum sumitur ex c. fin. de Consuet.*
Fundamentum præcipuum sumitur ex d. c. fin. de Consuet. ubi (inquit idem Auctor n. 8.) tantum duæ conditiones ad consuetudinem requiruntur, scilicet ut consuetudo rationabilis sit & præscripta: ergo sine fundamento juris, imò contra illud jus est, novam exigere, quæ in illis non contineatur; at specialis scientia Principis est nova conditio, in illis non inclusa; ergo non est necessaria; ergo nec personalis consensus, qui sine illa scientia esse non potest.

Confirmatio.
Confirmatur ac declaratur: quia Princeps potuit generalem legem statuere approbantem consuetudinem, habentem tales conditiones, ab ipso præscriptæ, & ut vim habeat absque novo suo consensu, vel scientia; sed id fecit in illo decreto; ergo. Major patet: quia hoc non excedit Principis potestatem, & ille modus ostendendi suam voluntatem est sufficientissimus, ut declaravi; est etiam convenientissimus; quia moraliter impossibile est, consuetudines omnes ad Principis notitiam pervenire, juxta cap. 1. de Constitut. in 6. & alioqui expedit, consuetudines rationabiles observari, & vim suam obtinere; ergo.

174. *Alia confirmatio.*
Denique confirmari hoc potest ex analogia ad propriam præscriptionem, ad cujus imitationem dicitur hæc consuetudo præscripta: nam in præscriptione non requiritur scientia ejus, contra quem præscribitur: consuetudo autem dicitur præscripta contra Principem eo modo, quo præscribi potest: ergo non postulat scientiam Principis, ut prævaleat. Hæc ille.

Vasquez.
Ex quibus patet, perperam Vasquezium supra dicere: Neque Adversarij ullo modo oppositum vel leviter probare possunt. Meo judicio, non solum leviter, sed satis graviter jam dicta probant oppositum.

175. *Resp. duplex Adversarium.*
Si dixeris: d. c. fin. solum loquitur de consuetudine abrogante legem; Item, id ad summum procedere secundum jus Canonicum, & in consuetudine Canonica: nam in jure civili nihil tale reperitur definitum.

Rejicitur prima ex Suarzio.
Respondet Suarez supra, n. 9. ad priorem partem; à fortiori jus illud comprehendere con-

suetudinem inductivam legis non scriptæ; quia quoad potestatem tanta requiritur ad obrogandam legem Principis, sicut ad introducendum jus novum, non contrarium antiquo. Aliunde verò magis necessarius videri poterat consensus Principis ad permittendam revocationem suæ legis; quàm ad inducendum novum jus; quia magis ejus voluntati & auctoritati derogare videbatur.

Et idè cum emphasi dicitur in illo textu: *Licet non sit vilis longeva consuetudinis auctoritas, non tamen esse usque ad eam valituram, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi &c.* Ergo cum hoc illi detur, si illas duas conditiones habeat, simpliciter approbatur quodlibet consuetudinarium jus, illas duas conditiones habens.

Ad alteram verò partem dicit in primis; estò **176.** *Impugnatur secunda ex eod.*
jus civile non tam expressè id declaraverit, non tamen repugnare quoad valorem consuetudinis, habentis illas conditiones, quidquid sit de effectibus ejus. Imò in virtute idem in hac parte tradit jus civile, quod jus Canonicum magis declaravit. Nam in d. l. *De quibus*, sic dicitur: *Reverentissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

Ubi distinguitur populus à Legislatore, & *Ius civile nihil aliud requirit, quam quod sit diuturna & longa.*
hujus suffragium non postulatur: & in legibus sequentibus, supposita rationabilitate consuetudinis, nihil aliud postulatur, ut pro jure habeatur, nisi quòd sit diuturna & longa, & per annos plurimos observata; l. *Diuturna*, & l. *Sed & ea*, & l. *Nam*, additur, Imperatorem statuisse, perpetuam consuetudinem vim legis habere debere.

Et ita intellexerunt jus civile ejus Interpretes, ut secundum illud, etiam consuetudo præscripta, sine nova scientia Principis sufficiat. *Sanchez.*
Hæc tenet Suarez. Qui & pro sua sententia refert Sanchium lib. 7. disp. 4. n. 11. & 14. & disp. 82. n. 20. & alios plures Theologos, quibus ego libens subscribo.

Atque juxta hanc sententiam existimo, designandum esse certum numerum annorum, quo expleto consuetudo rationabilis novam legem instituat, vel antiquam abroget, si cætera adint. At verò in sententia Vasquezij & Pontij, judico illud tempus relinquendum esse arbitrio prudentis, qui secundum circumstantias loci, rerum &c. judicabit de expresso vel tacito consensu Principis.

Si autem à me quaeritur: quem numerum annorum judicem necessarium, ad præscriptionem absque novo consensu Legislatoris? Respondeo: decennium, tam ad præscriptionem legis civilis, quàm Ecclesiasticæ. Estò enim, ut superius notavi, neque in jure civili, neque in jure Canonico certus numerus annorum præfigatur præscriptioni legali, sed tantum præscriptioni propriæ dictæ seu rerum & dominiorum; equidem cum tam jus civile, quàm Canonicum requirat longam consuetudinem, ne omnia sine incerta, & unus dicat, præscriptam esse consuetudinem, alter neget cum perturbatione & magno detrimento boni communis, planè expedit, ut communi

177. *Quis numerus annorum sit necessarius.*

muni confensu ftatuatur certus annorum numerus, quo expleto, sine alio novo confensu personali Principis, intelligatur, confuetudinem legem novam induxiffe, vel antiquam abrogaffe.

178. Optime ftatur de- cennium.

Optime autem videtur ftatui decennium; quia id in jure civili simpliciter vocatur longum tempus, Cod. de Præfcriptione longi temporis vel vingiti annorum, per totum. Ius autem five civile, five Canonicum, non requirit ad præfcriptionem legalem, aliud, quam longam confuetudinem, & cum nufpam decernat, quæ fit confuetudo longi temporis, five quam longa debeat effe confuetudo ad legem præfcribendam, id eft, inftituendam vel abrogandam, merito hæc longitudo defumitur ex analogia ad propriam præfcriptionem, ad cujus imitationem dicitur hæc confuetudo præfcripta

179. In præfcriptione rerum aliquando requiritur longius tempus.

Haud inficior, effe difparem rationem unius & alterius præfcriptionis; fed dico, fufficientem effe proportionem inter illas, ut ad utramque requiratur decennium. Et fufficientem effe difproportionem, ut ad propriè dictam præfcriptionem aliquando non fufficiat decennium, fed requirantur vingiti anni, fcilicet inter abfentes, & quadraginta ad præfcribendum bona Ecclefia, etfi decennium femper fufficiat ad Præfcriptionem legalem.

Ratio difparitatis.

Et ratio difproportionis eft; quòd præfcriptio legalis fupponat ignorantiam Principis, aliàs enim, ut fup. dictum eft, non eft neceffarium tantum temporis, cum ante decennium poffit Princeps tacite vel expreffè confentire; porò refpectu Principis ignorantis impertinens eft abfentia vel præfentia. Aliud cernitur in præfcriptione propriè dicta; æquali quippè tempore, cæteris paribus, præfcribuntur dominia rerum, five Dominus fciat, five ignoret; & folùm requiritur illud tempus, ut Dominus faciliùs fcire poffit; certum autem eft inter præfentes, faciliorem effe hanc fcientiam, quam inter abfentes; & ideo longius tempus requiritur inter abfentes, quam inter præfentes.

180. Præfcriptio legalis folùm confiderat neceffitatem boni communis.

At verò in præfcriptione legali folùm confideratur neceffitas boni communis; expedit enim omninò, ut confuetudines rationabiles & fufficienti ufu firmatæ, vel inducant legem, vel abrogent; ad hunc autem finem fufficiens eft tempus decem annorum, tam inter præfentes, quam inter abfentes. Quia talis confuetudo de fe fatis eft roborata; & alioqui tempus illud eft fufficiens, ut Princeps poffit fcire, fi velit. Major autem vel minor facilitas, parùm in præfentia referre videtur.

181. Legiflator non eft involuntarius ftatus domini rerum. Suarez.

Eò vel maxime (inquit Suarez fup. c. 15. n. 6.) quòd in præfcriptione confuetudinis non cenferur effe involuntarius Princeps, præcipuè quoad hunc effectum inducendi obligationem, fuo juri non contrariam. Sicur effe folet involuntarius Dominus rei; contra quem illa præfcribitur. Quia inductio illius obligationis non affert præjudicium Principi, nec eft contra iurisdictionem ejus, cum fit ex jure illius, & conveniens ad debitam gubernationem, & ideo non eft eadem

ratio de præfcriptione aliarum rerum, quæ de hac confuetudine. Hæc ille.

Qui n. 5. docet noftram fententiam, quantum ad effectum inducendi obligationem: & cap. 18. n. 11. quantum ad effectum tollendi legem civilem. Ratio (inquit) eft; quia jus civile in hoc diftinctionem non facit, fed ad utrumque indefinitè requirit tempus longævum, ut patet in d. leg. De quibus: tempus autem longævum in eodem jure eft tempus decem annorum, ut fup. dictum eft, & expreffius habetur in §. 1. Inftit. de Ulucap. ibi: Et ideo conflitutionem fuper hoc promulgavimus, quæ cautum eft, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poffeffionem (id eft, inter præfentes decennio, inter abfentes vingiti annis) ufucapiantur.

Tempus longævum eft tempus 10. annorum.

Neque hinc fit diftinctio de tempore inter abfentes & præfentes (quidquid Sylvefter & alij fentiant) propter rationem fup. tractatam, quòd ad neceffitatem hujus præfcriptionis femper fupponitur ignorantia Principis; nam fi Princeps fciat, non eft neceffaria præfcriptio ad præfentem effectum. Refpectu verò Principis ignorantis, impertinens eft abfentia vel præfentia & ideo idem tempus indiftinctè poftulatur.

182. Quare in præfcriptione legum non fiat diftinctio de tempore inter abfentes & præfentes. Sylvefter.

Ponitur autem ab Auctoribus potius decem quam vingiti annorum (quamvis hoc jura non definiant, & ignorantia Principis videatur effe quædam abfentia) propter rationes fup. factas. Item: quia in hoc jure intervenit favor ex parte Principis, & ille ampliatur, dum brevius tempus eligitur, & intervenit onus ex parte fubditorum, quatenus revocatio legis per longum tempus differtur, & hoc minuitur, brevius etiam tempus eligendo. Et ita utrumque eft juri conforme, Et confonat etiam alia Regula juris, quòd: In obfcuris minimum eft fequendum. Hæc tenus Suarez de lege civili.

Sed nunquid eadem ratio legis Ecclefiafticæ? Vera (inquit Suarez fup. n. 12.) & communis fententia eft, in legibus Canonicis requiri tempus 40. annorum, ut confuetudo contra illos cenfeatur præfcripta. Probari autem hæc fententia folet ex d. cap. ult. de Confuet. quatenus requirit confuetudinem legitime præfcriptam; quia in jure Canonico non dicitur confuetudo legitime præfcripta, nifi fit 40. annorum.

183. Suarez exiftimat in lege Ecclefiaftica requiri 40. annos.

Sed non exiftimo, hoc fufficere; quia appellatio legitimæ præfcriptionis de fe indifferens eft, folùmque fignificat confuetudinem durantem tempore, & cum conditionibus lege præfcriptis. Unde juxta materiæ capacitatem applicari poterit ad præfcriptionem quadragenariam, vel ad decennalem. Nam etiam dici poteft, confuetudo legitime præfcripta neceffaria effe, ad inducendam legem præter, & non contra commune jus, in ficio Principe. Hæc ille. Ad hanc autem confuetudinem, etiam fecundum Suarez fup. c. 15. n. 5. fufficit decennium.

Probatio de fumpta ex c. fin. de Confuet. non fufficit Suarez.

Addunt ergo Auctores communis illius fententiæ, præfcriptionem legitimam contra Ecclefiam requirere tempus 40. annorum, juxta

184. Alia probatio ex c. 4. cap. de Præfcripto.



cap. De quarta, de Præscript. De quarta decima & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi quadragenariâ præscriptione temporis se posse tueri videtur. Nisi forte interim pastoralis sedes caruisset Pastore, qui jura Ecclesie sue exigere debuisset. Nam Romana Ecclesia tricennalem præscriptionem contra Ecclesiam non admittit. Ita, Alex. 3. Salernitano Archiepif.

cap. 6. eod.

Et idem Pontifex Mauritano Episcopo sic rescribit cap. 6. eod. Ad aures nostras pervenit, duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una illarum in alterius Parochia annis 40. possedit. Et infra: Tua fraternitati tenore presentium innotescat, quod de jure melior est conditio possidentis. Quia quadragenalis præscriptio omnem præsumptionem actionem excludit. Consuetudo autem contra Canones, dici merito potest contra Ecclesiam, cum sit contra Ecclesiastica jura; & ideo legitima præscriptio in illa, quadragenaria esse debet. Ita Suarez.

185.

Resp. u. u. ra non loqui de præscriptione legali.

Ego autem nego hanc illationem. Quippe prædicta jura non loquuntur de præscriptione legali, sed de præscriptione propriè dicta, quam admitto, debere esse quadragenariam: verum non omnes leges hujus præscriptionis applicari possunt aut debent præscriptioni legali, ut patet in bona fide & diverso tempore, requisito inter absentes & præsentés.

Ad propriè præscribendum contra Ecclesiam Rom. requiruntur 100 anni.

Alioquò dicendum foret, quod hæcenus nemo dixit, ad præscribendum contra legem Ecclesie Romanæ necessariam esse consuetudinem 100. annorum; cum sola centenaria præscriptio propriè dicta contra Ecclesiam Romanam currat; arg. cap. 14. de Præscript. ibi: Licet tam legali quam Canonica sit diffinitione statutum, ut contra Romanam Ecclesiam, que gaudet privilegio speciali, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vendicare &c.

186.

Quare majus requiratur ad præscriptionem rerum Ecclesie, quam ad præscriptionem legis Ecclesiasticæ. Item, cur hic non sit necessaria bona fides, sicut ibi.

Ubi Gloss. verb. Legali, inquit: Cod. de Sacrosanct. Eccles. Ut inter divinum, & in Authent. Ut Rom. Eccles. cen. an gaud. privil. §. Quod autem, coll. 2. Et verb. Canonica: ait 16. q. 3. Nemo, & sup. cap. prox. & inf. eod. Si diligenti, in fine.

Rogat autem aliquis, quare majus tempus requiratur ad præscriptionem rerum Ecclesie, quam ad præscriptionem legis Ecclesiasticæ. Item, cur hic non sit necessaria bona fides, sicut ibi.

Præscriptio legis nullo jure aliquem privat

Respondeo breviter, quia præscriptio propriè dicta respicit jus privatæ personæ vel communitatis, habentis sc per modum privatæ personæ, quæ spoliatur irreparabiliter aliquâ re vel jure ab alia privata persona; ac proinde non fuit expediens, ut minori tempore, aut cum malâ fide præscriptio ista curreret; sic enim passim innocentes spoliarentur bonis suis, & scelerati illis ditarentur, & Ecclesia quæ difficulter potest bona acquirere, facillè depauperaretur, plurimæque alia incommoda sequerentur.

At verò præscriptionem legis nullo jure aliquem privat, sed solum removel obligationem legis, quam expedit amoveri, quando per 10. annos non servatur cum peccato subditorum. Deinde facillè potest Princeps interrompere præscriptionem, aut certè de novo legem imponere.

Unde hic intervenit, consensus Principis saltem legalis, in propria autem præscriptione nullus omninò consensus ejus, cujus res præscribitur. Atque hæc satis pro hoc loco de consuetudine rationabili, & legitime præscripta.

Restat videndum, utrum consuetudo in præfenti materia possit esse rationabilis & legitime præscripta: si enim talis nequeat esse, clarè constat, neque inducere posse impedimentum, neque abrogare, ut sup. adhuc dixi. Sin autem talis queat esse, non video, quare dum talis erit, non inducet novum impedimentum, aut antiquum abrogabit, etiam secluso scandalo, & ad miniculo alterius juris, præcisè ex d. c. fin. de Consuet. quod. generaliter loquitur, & non requirit aliud, quam consuetudinem rationabilem, id est consonam rationi, propter quam Legislator possit licitè legem instituere, aut revocare institutam, & legitime præscriptam, id est, 10. annorum nullis contrariis actibus interruptam.

187. Consuetudo rationabilis, & legitime præscripta, abrogat, & instituit impedimentum.

Et verò contra rationabilitatem, objicitur in primis cap. Quod super his de Consang. in fine. Ne autem intra gradus prohibitos Matrimonium contrahatur, debes publice inbibere, & præsumptores Ecclesiasticâ distractione punire, non obstante consuetudine, qua dicenda est potius corruptela. Ita rescribit Innoc. 3. Rosan. Archiepif.

188. Contra rationabilitatem objicitur cap. 5. de Consang.

Ubi Gloss. verb. Non obstante consuetudine, infert: Ergo consuetudo non excusat in Matrimonio, sup. de Sponsa duor. c. ult. Arg. contra sup. de Cognat. spirit. c. 1. &c. Super eo, 32. q. 4. Objiciuntur, sed consuetudo quandoque propter scandalum legitimas personas ad contrahendum facit illegitimas, & sic loquuntur illa Decret. sup. de Cognat. spirit. & cap. Objiciuntur, non contradicit; quia quando mos ille erat, crimen non erat contrahere cum illis personis, sed modo est. Sed consuetudo quantumlibet longa, non potest personas, illegitimas ad contrahendum, facere legitimas, prout hic intelligitur, nulla consuetudo posset facere Matrimonia inter consanguineos licita: immo quanto plus simul essent, tanto gravius peccarent, inf. eod. Non debet, sed è converso bene, ut in cap. Super eo. Vbi quævis consuetudo rationabilis est, & potest servari sine mortali peccato, & sine scandalo, juri præjudicat. Exemplum habes sup. eod. Quod dilectio, & sup. de Cognat. spirit. Super eo.

Ergo consuetudo contrahendi cum impedimento alioquò dirimente ex jure Ecclesiastico, nequit esse rationabilis, quoniam potius corruptela est, ac proinde nequit ex persona inhabili facere habilem, quidquid sit, an possit ex habili facere inhabilem, de quo infra disputabimus.

Illatio.

Atque hæc est communis sententia DD. teste Sanchio lib. 7. disp. 4. n. 13. & præter textum jam allegatum, jam adducunt d. cap. Super eo, in priori sua parte, quæ sic sonat: Super eo, quod a nobis tua fraternitas requisivit de duobus compatrum filiis: Respondemus, quod si tales filij fuerint, per quorum alterum vel utrumque, parentes ad compaternitatem venerunt, eos conjungi nullâ ratione sustineas, & conjunctos Pontificali auctoritate non differas separare.

189. Item cap. 3. de Cognat. spirit.

His

190. *Probatur ex Sanchezio, consuetudinem posse derogare impedimentis.* His tamèn, & aliis non paucis, apud Sanchez supra, nequaquam obstantibus, ipse n. 14. v. riuus existimat, posse consuetudine derogari legi Ecclesiasticæ, statuti impedimentum dirimens inter aliquos; ac proinde vi consuetudinis illius posse eos habiles effici ad ineundam inter se Matrimonium.

Ducitur: quoniam cap. fin. de Consuet. statuitur generaliter, vires habere consuetudinem ad derogandum legi, dummodò sit rationalis & legitime præscripta, & solam legem naturalem & Divinam ab ea consuetudinis facultate eximit. Quòd autem possit esse rationalis, non obstante quòd sit improbata d. c. Quod super, & quòd sit inducta contra jus Pontificium, probat: Nam frequens ac verissima sententia habet, quoties lex reprobatur consuetudinem ut iniquam, & ipsi etiam futuræ derogat, posse ex nova causa induci consuetudinem adversus eam legem. Quippe nova causa tollit iniquitatem, quæ inesse videbatur consuetudini eo tempore, quò lex ipsam ut iniquam reprobavit.

191. *Ad hoc adducitur l. 30. ff. Mandati.* Quod egregiè probat textus l. 30. ff. Mandati, sequentis tenoris: *Si hominem tibi dederò, ut eum manumitteres, & postea procurator meus prohibuerit, ne manumitteres, an mandati agere possim, si tu eum manumiseris?* Respondi: *si procurator justam causam habuit interpellandi manumissionem servi, quem in hoc solum acceperam, ut manumitterem: veluti si compererit, eum postea falsas rationes confecisse, insidias vite prioris domini struxisse, tenebor, nisi denuntiationi procuratoris parvero: si vero nulla justa causa procuratori fuit denuntiandi, ne servus manumitteretur, non poterit tecum agi, quamvis ad libertatem eum perduxerim.*

Ubi deciditur (inquit Sanchez) generalem procuratorem posse revocare, specialiter à domino provisã, existente causã justã revocandi, vel novã, vel antiquã, verosimiliter non cognitã. Ergò similiter, quàmvis habeat consuetudo vim legem novam statuendi, & antiquam abrogandi ab ipso Principe, poterit contra ipsiusmet Principis consuetudinem, futuram consuetudinem improbantis, & decidentis, eã non obstante, valituram legem, ex nova ratione superveniente prævalere adversus eam legem. Hæc ille.

192. *Non obstat, semel reprobata esse consuetudinem.* Ex quibus statuit hanc conclusionem: Non ergò obstabit semel reprobata esse consuetudinem d. c. Quod super his, ut conjuncti gradu, per Ecclesiam interdicto, Matrimonio copulentur, quò minùs ex nova causa possit legitima consuetudo induci, ut taliter conjuncti Matrimonium ineant. Ita Sanchez.

Porrò talis causa occurrere deberet, ex qua Legislator non solum validè, sed etiam licitè possit abrogare suam præcedentem prohibitionem seu reprobationem consuetudinis, & expresso consensu inducere legem, quã gradus aliqui Canonibus antiquis interdicti in Matrimonio aboleantur, atque interdictio illa ad pauciores gradus restringatur.

193. *Tria. restringit gradus olim prohibita.* Nonne Trid. sess. 24. de Matr. c. 2. restrinxit gradus cognitionis spiritualis, & c. 3. gradus publicæ honestatis, & c. 4. gradus afinitatis

contractæ ex copula carnalis? Et quæ ratio? Docet (inquit c. 2.) experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.

Si Trident. potuit restringere illos gradus, existente utique tunc justã causã, quæ priùs non extiterat, vel non fuerat cognita; quid ni idem potuisset facere consuetudo, propter easdem rationes, non obstante quòd Innoc. 3. d. c. Quod super his, vocet eam potiùs corruptelam, scilicet pro suo tempore, non existente utique justã causã, quæ procedente tempore per experientiam innouit. Non video rationem disparitatis. Nam sicut consuetudo debet esse rationalis, ita & lex; si ergò lex fuit rationalis, uti reverà fuit, etiam consuetudo fuisset rationalis, & adhuc esset.

Et per consequens, si modò iterùm appareret, seu innotesceret aliqua justã causa, propter quam Ecclesia justè posset restringere illud impedimentum ad tertium vel secundum gradum, idem posset consuetudo, non obstante, quòd aliquando fuerit vocata corruptela; adeoque non tantum prohibita pro futuro, sed etiam reprobata.

Hinc Averfa q. 9. sect. 3. §. Sed persistendum, ubi tenet communem sententiam contra Sanchez, admittit eam non efficaciter probari, eo, quòd talis consuetudo non possit esse rationalis. Sed propria (inquit) ratio est; quia licet alioqui consuetudo possit abrogare legem, tamen consuetudo reprobata per legem, non potest legitime introduci, non potest abrogare legem. Dicitur autem consuetudo reprobata, non quando lex dicit solum: *Non obstante consuetudine in contrarium*, quia hæc est tantum revocatio consuetudinis, sed quando contrariam consuetudinem vocat abusum aut corruptelam aut alio simili modo, ut fatetur Pontius lib. 6. c. 6. n. 9. & nos adnotavimus suo communi loco de Legibus. Et sic in casu nostro Pontifex contrariam consuetudinem vocavit corruptelam.

Etenim intantum consuetudo vim habet inquantum Legislator ipse voluit illam valere, sed quando ipse Legislator eam reprobat, & vocat corruptelam, utique non censetur voluisse, ut valeat: non ergò talis consuetudo vim habebit. Nisi tamen denuò Legislator, sciens & videns eam introduci, verbo aut facto illam approbet, quia tunc de novo vult, ut valeat. Et sicut adhuc poterat aliã suã lege revocare priorem, ita potest approbando consuetudinem sciens & volens. Hæc ille.

Sed non vincit intentum, nisi ostenderit illam scientiam & personalem voluntatem esse necessariam, ut consuetudo, etiam non prohibita, nec reprobata, quantumcumque rationalis, vincat legem. Quippe d. c. fin. de Consuet. generaliter, ut consuetudo vincat legem, non aliud requiritur, quàm ut sit rationalis & legitime præscripta; cum ergò jus non distinguat inter

Idem potuisset facere consuetudo.

194. *Ratio quare non possit consuetudo abrogare impedimentum, ex 4. versis.*

Quando consuetudo dicitur reprobata, ex eod.

195. *Probatur eam non posse abrogare legem.*

Sed inefficaciter.

consue-

consuetudinem prohibitam vel reprobam, & non reprobam, neque nos distinguere debemus sine evidenti ratione, quam hactenus non vidimus.

196. *Resp. sic arg.* Fatemur libenter, intantum consuetudinem vim habere, inquantum Legislator voluit eam valere. Admittimus quoque, quando ipse Legislator eam reprobat, & vocat corruptelam, utique non cenferi voluisse, ut valeat; sed pro tempore illo, quo eam reprobat, scilicet quo erat irrationabilis, carens utique omni ratione, propter quam Legislator licite poterat suam legem revocare. Verumtamen quia procedente tempore mutatis rerum circumstantiis potest fieri consuetudo rationabilis, id est, potest existere causa, propter quam Legislator posset personaliter legem suam revocare; ideo Legislator voluit, ut pro illo tempore valeat consuetudo, & abroget legem; etiam si ipse ignoret consuetudinem, & iustam causam legem abrogandi. Igitur non requiritur nova voluntas Legislatoris, existente jam iusta causa, quae reddat consuetudinem rationabilem; sed sufficit antiqua, per jus commune nobis intimata.

Non requiritur nova voluntas Legislatoris.

197. *Objectio.* Si dixeris: eisdem verbis reprobatur consuetudo opposita juri naturali aut Divino d. cap. fin. & opposita juri Ecclesiastico d. c. *Quod super his*, vocando scilicet eam corruptelam.

Solvitur.

Consentio; non tamen id arguit, eodem prorsus modo utramque consuetudinem iniquam fore; quippe quae est adversa juri naturali & Divino nullo modo potest iusta reddi, nisi forte Deus tollat jus Divinum, aut in eo dispenset, secus opposita juri tantum Ecclesiastico, quae subinde iusta redditur ex nota superveniente causa.

Ad quid servit prohibitio vel reprobatio consuetudinis.

Interrogat aliquis: ad quid ergo servit illa prohibitio vel reprobatio futurae aut praesentis consuetudinis? Pro responsione, Nota: non eo ipso quod aliquid prohibetur, censetur esse irrationabile; alias nulla consuetudo contra legem esset rationabilis, cum omnes actus contra legem, ex quibus consuetudo constituitur, sint prohibiti. Haud inficior, omne, quod est contra legem, esse irrationabile ex parte actus; ergo etiam ex parte objecti, negatur Consequentia: hoc autem sufficit, ut consuetudo sit rationabilis.

198. *Objectio diluitur.*

Dices: est contra legem naturalem. Respondeo: stante lege humana, transeat; sed fieri potest, ut amplius non stet lex humana; & ita fieri potest, ut non sit contra legem naturalem. Sive aliter, est contra legem naturalem fundamentaliter & remotè, concedo: proximè & immediate, nego.

Instantia.

Si inferas: ergo talis prohibitio nullum habet effectum; per simplicem quippe legem consuetudo, quae non est aliud, quam frequentia actuum contra legem, sufficienter prohibetur.

Solvitur.

Respondeo neg. Consequentiam. Primus namque effectus est; ut in dubio talis consuetudo praesumatur irrationabilis, quando oppositum non constiterit, nec probatum fuerit; quia cum Superior specialiter illam prohibuerit, verisimile est, judicasse eam irrationabilem, maximè quando res est dubia. Secundus effectus est; ut gu-

bernatores & custodes legum magis invigilent, & non permittant talem consuetudinem introduci.

Tertiò; verisimile est, subditos majori obligatione teneri ad abstinendum à tali consuetudine, propter voluntatem Superioris specialiter declaratam. Quarto & maximè potest deservire, ut talis consuetudo vix aut nunquam possit derogare tali legi, nisi post longum tempus, & legitimam praescriptionem; quia antea vix potest praesumi de voluntate Principis, etiam si consuetudinem sciat, vel certè multò plures circumstantiae necessariae erunt, & major temporis diuturnitas ad illam praesumptionem contra talem legem, propter contrariam voluntatem Principis, magis expressè & specificè in illa declaratam. Ita Suarez sup. c. 19. n. 22.

Præterea objicitur; eo ipso quod lex prohibet, ne aliqua res propriè praescribatur, nullà consuetudine fieri potest, ut praescribatur; arg. l. 24. ff. de Usurp. & usucap. *Vbi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.* Ergo similiter hic.

Respondet Suarez sup. n. 24. neg. Consequentiam: quia in praescriptione privata & propria nunquam praesumitur mutata voluntas Principis, nec est aliquod jus, in quo talis praescriptio jure prohibita possit inniti: at in praesenti semper manet integra virtus legis, dantis hanc vim consuetudini rationabili & praescriptae, & manet naturalis ratio tacitae voluntatis Principis derogantis priori. Hæc ille.

Plura alia obijciuntur huic doctrinae, sed eandem habent solutionem; scilicet, semper permanere integrum jus d. c. fin. adeoque semper adesse voluntatem legalem Principis eo ipso, quod constat consuetudinem esse rationabilem, & legitimè praescriptam, estò nullus adsit consensus personalis sive tacitus, sive expressus, qui non est necessarius, ut sup. declaratum fuit.

Igitur per illam prohibitionem, aut etiam reprobationem consuetudinis, ad summum tollitur consensus personalis Principis, secus legalis, nisi pro tempore, quo consuetudo est irrationabilis; juxta antea dicta. Posse autem consuetudinem reprobam, ex irrationabili fieri rationabilem, vel inde constat, quod lex reprobet aliquando consuetudinem, propter aliquod imminens periculum; vel quia ita censetur expedire Ecclesiae aut. Reipubl. propter aliqua incommoda vitanda; hæc autem omnia sunt obnoxia mutationi.

Ubi ergo certò constaret, mutationem esse factam, dico cum Suarior, Sanchio & aliis, consuetudinem non solum simpliciter prohibitam, sed etiam reprobam, posse praescribere contra legem eam abrogando, sive fuerit lex civilis, sive Ecclesiastica, etiam Sacramentalis. Non enim apparet sufficiens ratio disparitatis.

Hanc sententiam sequitur etiam Coninck sup. n. 13. propter cap. fin. de Consuetudine. Nec obstat (inquit) quod Innoc. 3. c. *Quod super his*, de Consanguinitate, ait: *Ne autem &c.* vide sup. Quia satis inlinitio Epistolae,

199. *Subditi magis debent abstinere à tali consuetudine.*

Suarez.

200. *Alia obiectio.*

Solutio ex Suarior.

201. *Prohibitio consuetudinis non tollit consensum legalem.*

Consuetudo probata aliter quando potest abrogari legem.

202. *Est sententia Regij.*

lae, quod habetur adjunctum in exemplaribus Plantinianis, illam consuetudinem fuisse tantum aliquorum, & satis obscuram atque incertam.

203. Nec enim Episcopus, qui Pontifici eam quaestionem proponit, ibi asserit, eam consuetudinem in iis locis vulgò esse receptam (sicut de precedente asseruerat) sed tantum asserit, id à quibusdam dici, qui intrà tertium vel septimum gradum contraxerant. Unde patet fuisse potius aliquorum abusum, quam publicam consuetudinem. Quia incredibile est, fuisse ibi publicè & generatim permixtum in 3. gradu contrahere, cum tunc etiam septimum prohiberetur. Quare meritò Pontifex dicit esse corruptelam.

Adde: etsi Pontifex ibi veram ac generalem consuetudinem improbasset; potuisse tamen improbationem rursus contrarià consuetudine infirmari, sicut & alias leges. Ita Regius.

204. Sit ergò resolutio finalis in consuetudinem posse abrogare impedimentum Matrimonij, non solum prohibens, sed etiam dirimens; & de facto illud abrogare, si consuetudo fuerit rationabilis, & legitime præscripta.

Nunquid etiam poterit inducere & inducet impedimentum dirimens, si fuerit eisdem conditionibus vestita? Affirmat similiter Conclus. estque res magis certa, præsertim si concurrat scandalum, aut adminiculum alterius juris. Imò solum consuetudinem sufficere, secluso scandalo, & huiusmodi adminiculo, tenet Sanchez sup. n. 11. cum hac tamen limitatione, dummodò sit consuetudo mixta Clericorum & Laicorum.

205. Solet autem Conclus. nostra probari specialiter ex cap. 1. de Cognat. spirit. quod sic incipit: *Vtrum autem filij (aut filia) ante, vel post compaternitatem geniti, possint ad invicem copulari, Canones secundum diversorum locorum consuetudines contrarij inveniuntur. Et licet primus Canon, exinde editus, natos post compaternitatem, ad invicem copulari prohibeat; alter tamen Canon, posterius editus, primum videtur corrigere, per quem statuitur, ut sive ante, sive post compaternitatem geniti sint, simul possint conjugari, excepta illà personà duntaxat, per quam ad compaternitatem venit. Vnde nobis videtur (inquit Alex. 3.) ut secundum posteriorem Canonem debeat observari: Nisi consuetudo Ecclesie, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur.*

Ubi Gloss. verb. *Posterius*, inquit: *Primus Canon est 30. q. 3. Post susceptum, & debet esse Paschalis primi, licet in quibusdam libris dicatur Paschalis secundi. Canon posterius editus, est ead. causà & q. cap. Sup. quibus, qui corrigat primum, ut hic dicit.*

206. Et eadem Gloss. verb. *Nisi consuetudo*: Arg. (ait) quòd consuetudo personas legitimas ad contrahendum reddit legitimas, inf. eod. Super eo; ubi idem Pontifex rescribit Vigilien. Episcopo in hæc verba: *Super eo, quod à nobis tua fraternitas requisivit de duorum compatrum filiis: Respondemus &c. vide sup. Ceterum si per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus consuetudinem tuam Metropolitanam Ecclesia vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligentius imitari, ita quòd, si ejusdem Ecclesie consuetudo habet, inter eos non sustinere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, tu simili modo, in Ecclesia tibi commissa, conjugium huiusmodi fieri non permittas; & si quos taliter conjunctos inveniris, juxta earundem Ecclesiarum consuetudinem, ipsos separare ab invicem non omittas. Verum si de consuetudine habeatur, ut talia conjugia permittantur, id in Ecclesia tua dissimulare poteris, ita quòd nec contradicere, nec tuum videaris præstare assensum: quia sicut grave, antiquam consuetudinem adjacentium Ecclesiarum super his contemnere, sic quoque gravius videtur, si propter eam huiusmodi conjugij tuum indulgeas assensum, cum possit sic in exemplum assumi.*

Ubi Gloss. in expositione casus circà finem: *Nota, quòd consuetudo Ecclesie Metropolitana observanda est, & aliarum circumpositarum. Item, consuetudo facit personas legitimas vel illegitimas ad contrahendum. Ergò existimat Glossa, ex hoc jure colligi, consuetudinem non solum posse inducere novum impedimentum dirimens, sed etiam antiquum abrogare; hoc enim est facere personas legitimas, quæ aliàs essent illegitimæ.*

Interim eadem Gloss. requirit scandalum, verb. *Consuetudine dicens: Et intellige de tali consuetudine, quæ scandalum generaret, nisi fuerit observata, sup. eod. c. 1. in fine. Et surgit consuetudo ista ex quadam affinitate, contracta ex compaternitate unius filiorum, ut etiam alij conjugari non possint, prout olim observabatur secundum intellectum Alex. ut sup. eod. c. 1. & 30. q. 3. Post susceptum, licet illud immutatum fuerit, ut omnes possint conjugari, præter illas personas, quibus mediis antibus compaternitas contracta fuerit, 30. q. 3. Super quibus, & sup. eod. c. 1. Et sic, si scandalum magnum sit in aliquo loco, quòd tales conjugantur, vel remaneant conjuncti, adhuc propter scandalum servabitur ibi illud jus, non obstante constitutione, quæ emanavit postea in contrarium.*

Vnde fortè simili modo potest dici, si in aliquo loco esset magnum scandalum & horror, quòd aliqui contraherent in quinto gradu, illud non toleraretur, non obstante constitutione illà inf. de Consang. & affin. Non debet; quia propter scandalum multa, etiam contra jus omittuntur. Ergo multò fortius, ubi alia ratio subesse videtur, & ita hic & sup. eod. c. 1. in fine, scandalum impedit Matrimonium & dirimit. Et est simile, quia consuetudo facit aliquem illegitimum ad eligendum, sup. de Cler. conjug. Cum olim.

In prohibitione talis Matrimonij nullum est peccatum; ergò si scandalum est, quòd conjugantur, propter scandalum prohibendi sunt, arg. inf. de No. op. nunt. Cum ex injuncto. Sed si nulla prohibitio unquam fuisset inter tales personas, contractus Matrimonij non deberet dissolvi propter scandalum; quia talis dissolutio sine peccato mortali fieri non posset, arg. predic. Decret. Cum ex injuncto. Hactenus Gloss. satis notabilis, & ideo totam describere volui ad majorem intelligentiam hujus controversiæ.

Enimverò non obstantibus prædictis juribus
E & videtur pro-

habilius
quod non

& similibus, in quibus, ut vult Gloss., impedimentum dirimens attribuitur scandalo, probabilius videtur, scandalum non esse necessarium, nisi hoc sensu intelligatur, quod ex non observatione consuetudinis, legitimè præscriptæ, de per se natum sit oriri scandalum; ac proinde legitimus sensus horum verborum d. c. 1. *Nisi consuetudo Ecclesie, que scandalum generat, aliter se habere noscatur*, est: nisi consuetudo iusta & legitimè præscripta, ex cujus transgressione merito scandalum oriri possit, aliter se habeat.

210.

Explicatur
verba d.
cap. 1. ex
Sancho.

Si aliquid amplius intendit Glossa, ab ea recedimus in hac parte, & subscribimus Sanchio, qui ita explicat d. verba sup. n. 11. dicens: Respondet, non ceteri restrictionem consuetudinis, contra regulam generalem traditam cap. fin. de Consuet. quæ solum petit, eam esse rationi consentaneam atque legitimè præscriptam, ut legem novam faciat, antiquamque abolet, sed potius esse declarationem conditionum consuetudinis, quæ petuntur d. c. fin. nempe, ut sit rationi consentanea, & legitimè præscripta, si enim eas conditiones habeat, ejus violatio suapte naturam scandalum generabit. Atque ita sensus est: non sit consuetudo contra rationem, nec de novo introducta, sed talis ac tam diuturna, ut ejus violatio jure optimo scandali orituri ansam præbeat.

211.

Effectus inducendi novum impedimentum non scandalum, sed consuetudini legitimè introductæ tribuendus est. Sicut nec virtus statuendi novam legem, attribuitur scandalo, quod nascitur ex legitima consuetudine non observatâ; sed ipsi consuetudini justæ & debitæ præscriptæ, cui facultas hæc concessa est d. c. fin. de Consuet.

Quare is effectus inducendi novum impedimentum dirimens non scandalo, sed consuetudini legitimè introductæ tribuendus est. Sicut nec virtus statuendi novam legem, attribuitur scandalo, quod nascitur ex legitima consuetudine non observatâ; sed ipsi consuetudini justæ & debitæ præscriptæ, cui facultas hæc concessa est d. c. fin. de Consuet.

Et confirmatur: quis enim negaret hanc vim legitimæ consuetudini, si per accidens non sequeretur scandalum ex ejus transgressione, cum tamen conditiones omnes habeat requisitas d. c. fin. ad novam legem stabiliendam? Et è contrâ, quis eam tribueret consuetudini, cui aliqua ex illis conditionibus deficit, si magnum ex non observantia oriretur scandalum? Nemo sanè; sed diceret, in priori casu id per accidens evenire, ea enim violatio sufficientem scandali suapte naturam occasionem præbet: in posteriori autem esse scandalum passivum, & adversus rationis limites acceptum, quod jura non attendunt. Hucusque Sanchez.

212.

Idem docet
Pontius.

Sed audiamus etiam Basil. Pontium lib. 6. c. 6. n. 10. Ex his, inquit, fit, ut consuetudine dicamus derogari legi, parum ad rem facere scandalum, quod ex ejus omissione generari possit. Nam si consuetudo reprobata est, ut irrationabilis, scandalum erit tantum passivum, non activum, cujus nulla habenda est ratio, si ex malitia fit. Si verò ex ignorantia aut fragilitate, admonendus frater erit, juxta generalia principia in materia de scandalo, ut sibi persuadeat, consuetudinem illam non habere vim legis: atque adeo eum, qui contra consuetudinem eo in casu operatur, rectè agere, cum ejus actio consonet legi & dissonet ab irrationabili consuetudine.

Si verò sit tantum simpliciter reprobata consuetudo, aut obtinet denuò vim contra legem, aut secus; neque enim inter hæc medium aliquod excogitari potest. Si obtinet, inductum jam erit consuetudine impedimentum, vel ablatum, ac si lex ipsa abstulisset, aut induxisset, atque adeò servanda non ob scandalum, sed quia consensus adest Principis.

Atque hic est sensus eorum Canonum, quibus Interpretum juris Canonici distinctio nitentur, cap. 1. de Cognat. spiritali, ibi: *Nisi consuetudo Ecclesie &c. & cap. super eo, eod. verbis sup. citatis, & cap. Quod dilectio, de Consang. & affin. ibi: Unde in hac parte consultius duximus multitudini, & observata consuetudini deferendum, quam aliud in dissonantem vel scandalum populi statuendum, quâdam adhibita novitate.* Eo enim ipso, quòd Pontifices deferendum judicabant consuetudini, eorum consensus accedebat, ratione cujus obrinebat vim, non verò ratione scandali; licet ob curandum scandalum induceretur summus Pontifex, ut consuetudinem in illis casibus approbaret.

Quòd si consuetudo reprobata, nondum vincit legem, quia consensus Principis non præsumitur; quantumvis scandalum sequatur, non dirimet, neque impedit, cum consuetudo illa vim legis nondum habeat, atque adeò opus contra illam, non generet scandalum activum, sed passivum tantum sequatur, ut diximus. Ita præfatus Auctor. Negans utique cum Sanchio scandalum impedire aut dirimere Matrimonium.

Quid ergò impedit, aut dirimit? Secundum Sanchium ipsa consuetudo, cum consensu legali Principis; secundum Pontium autem, ipsa consuetudo, cum consensu personali Principis tacito vel expresso; ita tamen, ut consensus Legislatoris, sive legalis, sive personalis, sit causa principaliter instituens seu abrogans impedimentum, consuetudo autem signum aliquod istius consensus seu conditio, quâ posita, Legislator, sive fuerit Princeps, sive ipsa communitas, observans consuetudinem; vult obligationem novam inducere, vel antiquam auferre.

Porro talis voluntas vel colligitur ex jure communi d. c. fin. de Consuet. vel rationabiliter præsumitur, dum Princeps videt actum frequentari, tamquam obligatorium, aut à fortiori, tamquam obligatorium & non contradicere, cum facile posset; quippe qui tacet, cum potest, & debet contradicere, censetur consentire.

Causa itaque magis principalis inducens vel tollens obligationem, est, ut mox dixi, voluntas Legislatoris, vel expressa in jure communi, vel rationabiliter præsumpta seu tacita; ipsa autem consuetudo vel est signum illius voluntatis, vel conditio potius, sine qua talis voluntas non obtinetur. Consuetudo, inquam, etiam sine adminiculo alterius juris, saltem extrâ præsentem materiam; immò & in hac materia; cum neque ex jure, neque ex ratione ostendi possit, potius hic requiri hujusmodi adminiculum, quam alibi.

Dices: Alex. 3. d. c. 1. de Cognat. spiritali, non

213.
Explicatio
dictorum
Canonum
ex eod.

214.
Quid nec
impediat
aut dirimat
Matrimonium.

215.
Causa magis
principalis
est voluntas
Legislatoris.

Non requiritur cum consuetudine adminiculum alterius juris.

216.
non
obstatio.

non nititur solâ consuetudine, sed hâc junctâ & munitâ duobus canonibus Pontificiis, quorum primus, natos post compaternitatem, prohibebat copulari ad invicem: alter autem concedebat, exceptis his, per quos ad compaternitatem venitur. Illis autem juribus suppositis, vult Pontifex, ut secundum observetur nisi consuetudo stet pro primo; ergo ibi loquitur Pontifex de consuetudine non solâ, sed cum adminiculo juris antiqui; nam antequam secundum illud jus ederetur, jam erat prohibitum Matrimonium omnibus natis post compaternitatem.

Coninck. Hinc fatetur Coninck sup. n. 13. d. cap. 1. uti & 3. eod. non convincere sive efficaciter probare, consuetudinem solam posse inducere impedimentum dirimens: admittit tamen n. 15. id probabiliter colligi ex ipsis, junctâ DD. auctoritate.

Solvitur. Quidquid sit de dictis juribus, sententia Sanchez & nostra non fundatur præcisè in ipsis, sed maxime in d. c. fin. de Confect. in quo nec scandalum, nec adminiculum alterius juris requiritur; ergo nec nos requiramus.

217. Sed nunquid requiritur, ut sit consuetudo mixta Clericorum & Laicorum? Affirmat Sanchez sup. n. 11. cum aliis, quos citat. Et probat: Nam defectus consuetudinis statûs solius Laicorum nil potest immutare circa Matrimonij substantiam, & leges Ecclesiasticas; deficit enim potestas in consuetudinem inducentibus. Atque ita explicat textum c. 1. de Sponsal. Anton. ibi n. 8. & 12. Abbas n. 9. Alex. de Nævo, n. 10. 11. 21. 22. Felinus n. 2. Dicunt enim, consuetudinis Gallicæ violatione, non obstare valori Matrimonij, eò quod deficeret potestas in eam inducentibus; Matrimonium enim spectat de Ecclesiæ forum. c. Tuam, de Ord. cogn. Atque ita clarè intelligunt de consuetudine Laicorum. Hæc ille.

218. Quæ tamen displicent Aversa sup. sect. 3. §. Præterea, ubi sic scribit: Sed neque hoc modo addenda videtur talis limitatio & conditio in hac re, plulquam sit in aliis rebus Ecclesiasticis. Quia imò minus potest habere locum in hac re, in qua non ad Clericos, sed ad Laicos pertinet contrahere Matrimonium. Et in universum, nec laici, nec etiam Clerici, possunt auctoritate suâ quidquam immutare circa leges Ecclesiasticas: sed tota vis consuetudinis derivatur ex potestate Superioris, & in hac re summi Pontificis, vel specialiter ex certa notitia, vel saltem generaliter ex jure ipso communi eam approbantis.

219. Neque ratio, quare decifum sit, valuisse illud Matrimonium, erat, quia consuetudo Franciæ fuisset Laicorum tantum. Quinimò ibi dicitur, Matrimonium illud non fuisse contractum juxta legem Francorum, sed juxta legem Saxonum, inter quos erant diversæ leges. Et quamvis Glossa ibi, legem intelligat consuetudinem, tamen verba textûs denotant potius legem scriptam.

Ob plures autem alias rationes valere poterat ac debebat illud Matrimonium. Vel quia lex erat Principis laici, qui, ut dicebamus, in hac re

non habet potestatem. Vel quia lex illa erat tantum de aliquo ritu solemnitate, & non de aliqua conditione substantiali Matrimonij. Vel quia vir de Francia, uxorem duxerat de Saxonia, existens in Saxonia, & peregrini debent servare leges loci, in quo sunt, non suæ patriæ, de qua sunt. Hæc ille.

Subdo ego verba d. c. 1. de Sponsal. De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia, lege Saxonia duxit in uxorem: verum quia non eisdem utuntur legibus Saxones & Francigena, causatus est, quod eam non sua, id est, non Francorum lege desponsaverat, dimissâq; illâ, aliam superduxit. Dissinuit super hoc Sancta Synodus, ut ille transgressor Evangelicæ legis subjiciatur penitentia, & a secunda conjugè separetur, & ad priorem redire cogatur. Ita Concil. Tribur. c. 39.

Ubi Gloss. verb. Lege: Id est, inquit, consuetudine. Et verb. Legibus: Id est, consuetudinibus. Sed gratis videtur sic exponere, cum nullum pro tali expositione adducat argumentum, sive ex jure, sive ex ratione. Neque est ullum verbum in textu, ex quo illa expositio possit colligi.

Itaque, ut vult Aversa, commodè intelligitur d. cap. de lege scripta Regis Franciæ, quæ nisi approbata à summo Pontifice, nequit Matrimonium dirimere, ut patet ex antedictis; ac proinde jus illud, parum vel nihil facit ad dirimendam hanc controversiam.

Præterea: ipse Sanchez ad hanc objectionem, purâ, quod consuetudo sit inferior Pontifice, adeoque nequeat prævalere legibus Pontificiis; Respondet n. 12. circa finem: solam consuetudinem tamquam inferiorem id minimè posse, at eam vim habere ex ipsius Pontificis generali permissione, quâ cap. fin. de Confect. id generaliter legitimæ consuetudini concessit. Porro in d. cap. fin. nulla fit mentio seu distinctio inter consuetudinem Clericorum & Laicorum, & aliunde nulla est ratio, quare Pontifex non possit id concedere consuetudini laicorum.

Denique bene notavit Aversa sup. quod non ad Clericos, sed ad laicos pertineat contrahere Matrimonium, scilicet tamquam ministros contractûs & Sacramenti Matrimonij; alioquin ad Clericos pertinet, assistere Matrimonio laicorum. Atque ut Sanchez nihil aliud intenderet, quàm Clericos debere assistere Matrimoniis, quæ ex consuetudine contrahuntur contra leges Ecclesiasticas, aut citrà eas, ut consuetudo inducat, aut abroget impedimentum; neque sic generaliter verum foret dicere, quod consuetudo debeat esse mixta Clericorum & laicorum; siquidem & ipsa assistentia præscribi potest, in quantum necessaria ex solo jure Ecclesiæ ad valorem Matrimonij, si utique tales circumstantiæ occurrant, in quibus Pontifex licitè possit legem suam irritantem revocare. Sin autem loquamur de aliis impedimentis, procul dubio abrogari non possunt, nisi per consuetudinem mixtam Clericorum & laicorum ubi assistentia Parochi obligat, quia absque ea non contrahitur ibi Matrimonium.

Vellem ergo scire, quam consuetudinem Sanchez reputet hic mixtam, ut valeat impedimen-

220. Referitur ejus tenor.

Rejicitur Gloss.

221. Intelligitur d. cap. de lege scripta.

Consuetudo habet suam vim ex Pontificis generalis permissione.

222. Quomodo ad laicos, & non ad Clericos pertinet contrahere Matrim.

223. Quæ hic sit consuetudo.

mixta laicorum & Clericorum.

tum dirimens de novo instituere, aut institutum tollere, Non satis se explicat, neque alij Auctores, quos ipse sequitur. Dico ego: illam consuetudinem sufficere, quæ frequentatur à laicis in Matrimonij contrahendis, Clericis reputantibus Matrimonium, sic contractum, esse validum aut invalidum.

Ceterum an de facto consuetudo impedimentum Ecclesiasticum abrogaverit apud Hæreticos, quia non observant ex mera malitia, & in contemptum Ecclesiæ, suo loco discutiemus, ubi de impedimento disparis cultus.

224. *Quale sit peccatum inire Matr. cum impedimento dirimente.*

Impresentiarum autem quæritur, quale & quotuplex peccatum sit, Matrimonium iniure cum impedimento dirimente. Resolutio patebit ex sequenti Conclusionem, quæ talis est:

CONCLUSIO VI.

Sponste contrahens cum impedimento dirimente, ordinariè committit plura peccata; possit unicuique, & coactus metu, nullum committere.

225. *Peccat mortaliter, qui contrahit cum impedimento dirimente.*

HÆc Conclusio tres habet partes, sigillatim hic explicandæ. Prima autem pars ait: eum, qui spontaneè seu voluntariè contrahit eum impedimento dirimente tam juris naturalis aut Divini, quam juris Ecclesiastici, ordinariè committere plura peccata. Quod committat unum peccatum mortale, ab omnibus admittitur; quippe contravenit vel præcepto juris naturalis aut Divini, vel certè præcepto Ecclesiæ, si est impedimentum juris Ecclesiastici, idque in re maximi momenti. An autem idem dicendum sit, si solum adsit impedimentum impediens, videbimus sectione sequenti.

226. *Objectio.*

Iure natura non est illicitum facere testamentum irritum.

Sed dicit aliquis; sicut lex potest prohibere aliquem actum, absque eo, quod ipsum irritet; ita quoque potest eum irritare, & non prohibere; unde licitum est ex causa aliqua facere testamentum, vel donationem inter vivos, ipso jure irritam, juxta communem sententiam DD.

Si quidem testamentum invalidum, ex jure nature non habet specialem indecentiam aut inhonestatem, supposita iusta causa, v. g. ad redimendam vexationem, importunas preces, inimicitias &c. Quippe nullus tenetur ex jure nature alteri relinquere bona sua, sed potest de eis validè & invalidè disponere, sicut potest aliter eas consumere, si velit. Similiter, lex irritans contractum, factum à minore, non obligat ipsum in conscientia; cujus signum est, quia potest illum juramento confirmare, quod non posset, si esset peccatum, & sic de aliis. Ergo datur lex purè irritans actum. Et quid ni impedimentum dirimens Matrimonium sit talis lex, quæ quidem irritet Matrimonium, sed non prohibeat?

Datur lex purè irritans.

227. *Duo signa ad dignoscendam prohi-*

Audi Suarium lib. 5. de Legibus c. 20. n. 5. ubi duo signa præbet ad dignoscendam prohi-

bitionem; unum, inquit, est, quando actus ex vi sui objecti & nature talis est, ut velle illum facere, quando validè fieri non potest, turpe sit, & contra rectam rationem. Quod maxime videtur contingere in materia Religionis, & in actibus sacris, & in materia justitiæ; nam efficere actionem sacram modo irritum, & invalido sacrilegium est; quia est contra reverentiam debitam rei sacræ, ut facere Sacramentum irritum, & sine debita forma & materia.

Et hæc ratio, etiam si Concilium Tridentinum expressè non prohibuisset, sed tantum irritasset Matrimonium, factum sine Parocho & testibus, esset grave peccatum, illud sic contrahere: quia esset contra reverentiam Sacramenti, idemque est de quolibet alio Matrimonio, contracto cum impedimento irritante, & de professione in Religione facta, omisâ formâ, seu conditionibus ab Ecclesia requisitis ad valorem ejus.

Idem videre est in materia justitiæ: nam electionem facere prætermisâ substantiali formâ, grave peccatum est, quia necessariò involvit injustitiam; & idè graviter punitur in Trident. sess. 25. c. 6. de Regular. Idem est, quoties quis ex officio tenetur facere actum; nam consequenter tenetur facere validum, & idè prætermittendo debitam formam, contra justitiam faciet; ut si iudex proferendo sententiam substantiales circumstantias omittat, & sic de aliis. Hactenus Suarez. Benè ad nostrum propositum.

Et occurrens cuidam objectioni n. 6. scribit in hæc verba: Videri autem potest hæc obligatio in hujusmodi casibus, non provenire propriè ac formaliter ex lege positiva, sed esse de jure naturali; quamvis non resultet, nisi positâ institutione talis formæ, quam invenit lex positiva; sicut profanatio calicis consecrati, sacrilegium est contra legem naturalem, licet supponat consecrationem ex positiva institutione.

Sed licet verum sit, tale peccatum esse contra legem naturalem, etiam est contra legem positivam: nam eo ipso, quod præsumit talem formam in tali materia, constituit in illa medium justitiæ, vel religionis; & idè qui debitam formam prætermittit, etiam legem humanam violat; quia lex illa instituendo talem formam, ponit illam, ut necessariam ad honestatem, & consequenter prohibet actum, sine illa factum; sicut lex, quæ taxat pretium rei, necessariò prohibet carius vendere, etiam si verbis, formaliter prohibentibus, id non explicaret. Ita Suarez de primo signo.

Alterum est, quando prohibitio actus, aliter facti, ponitur in lege, & additur irritatio: nam tunc lex illa continet præceptum negativum, ratione cujus obligat ad vitandum seu non intendendum talem actum. Quod interdum fit directè prohibendo, ut patet in Concil. Trident. sess. 24. de Reform. Matr. c. 7. ubi primò ponitur prohibitio Matrimonij, & postea additur irritatio; imò & poena statuitur iis, qui taliter contraxerint. Sic etiam in eod. Concil. sess. 25. c. 15. de Regular. prius prohibetur fieri Professio antè

condam prohibitionem, ex Suar. Prim.

Est Trid. tantum irritasset Matr. eland. adhuc foret mortale istud contrahere.

228. *Electioem facere invalidam est grave peccatum.*

Occurritur cuidam objectioni.

229. *An tale peccatum sit contra legem positivam.*

230. *Secundum signum prohibitionis.*

expl-

expletum tempus Professionis, vel ætatis, & deinde ea irritatur. Possent plura de hac materia dicere, sed non sunt præsentis loci. Videri potest Suarius loco jam citato, & alibi.

231. Quomodo dicitur, si lex pure irritans a lege sunt prohibente.

Breviter tantum dico: ad discernendum, an lex sit pure irritans, an verò simul prohibens; respiciendum est primò ad verba legis, an dirigantur ad personam præcipiendo vel prohibendo, an autem immediatè versentur circà actionem seu contractum, illum qualificando vel infirmando; nam priores leges ex vi suæ formæ præcipiunt, & consequenter obligant; posteriores verò non prohibent actum ex vi talium verborum, licet irritent illum in favorem alicujus, nisi aliundè ex materia, fine, vel circumstantiis contrarium colligi possit.

Et idèò videndum secundò; an materia legis ordinetur ad bonum publicum vel privatum; & utrùm ad talem finem non solum irritatio, sed etiam prohibitio expediat. Tertio; an irritatio imponatur in penam ejusdem actus; tunc enim ordinariè actum prohibet: ut lex irritans collationem beneficij per confidentiam: itemque irritans electionem Religiosi ad Episcopatum, acceptatum sine licentia Prælati. Sic etiam turpia legata, dum irritantur in odium scribentis, simul prohibentur, vel saltem prohibita supponuntur.

232. Impedimentum dirimentia Matrim. simul prohibent.

Ex his quilibet Theologus festinè cognoscet, impedimenta dirimentia Matrimonium, simul id ipsum prohibere, adedque ad minus unum peccatum mortale committere, qui cum tali impedimento contrahit; quæ est, sicut antea dixi, concurs DD. sententia, quando id fit sine rationabili causa. Quod addo; quia ut habet ultima pars Conclus. ; metus potest excusare ab omni peccato.

233. An contrahens cum impedimento dirimentis committit duplex peccatum? Negat Sanchez.

Præcipua autem difficultas hujus loci est; utrùm sit duplex malitia mortalis. Negat Sanchez sup. disp. 5. n. 1. existimans probabilius, quod ultra culpam transgressionis juris naturalis aut Ecclesiastici, non reperitur sacrilegium irrationis Sacramenti Matrimonij. Quippe, inquit, cætera Sacramenta habent jure Divino præscriptam materiam & formam certam ac determinatam, & solam Sacramenti rationem subeunt; ac proinde materia & forma non possunt adhiberi, quin sint ex se materia ac forma Sacramenti; quare si sit indebitus usus, ita ut Sacramentum irritetur, est sacrilegium.

Contrahens non facit Sacramentum irritum, sed jus naturalis, aut Ecclesiasticum.

At Matrimonium, ultra Sacramenti rationem, est contractus quidam naturalis, nec habet præscriptam materiam & formam determinatam, sed consensus contrahentium legitimos, verbis, nutibus, aut literis, aut per procuratorem expressos: unde cum, Ecclesia aut jure naturali irritante consensus inter aliquos, ij Matrimonio copulantur, non ipsi irritum Sacramentum efficiunt, quantum enim ex se est, validè contrahunt; sed jus Ecclesiasticum aut naturale statuens id impedimentum, illud irritat.

Quà ratione cum aliquibus DD. excusavimus à culpa sacrilegij, inuentem Matrimonium ob metum viri constantis, quamvis sciret id esse irritum. Quod in nullo alio Sacramento reperitur.

Nec id mirum esse debet; cum ea ratione, quod Matrimonium contractus sit, multa alia specialia habeat, aliena ab aliorum Sacramentorum natura, ut posse ab Ecclesia irritari, contrahi in absentia per procuratorem &c. Hucusque Sanchez pro sua sententia, citans solum Petrum de Ledema de Matr. q. 50. a. 1. diffic. 3. post 2. conclus. ubi ait, non esse improbableem, solam unam malitiam transgressionis præcepti reperiri.

234. Per. de Ledema docet, hanc opinionem non esse improbabilem.

Potèò ut id non esset improbableem, multò tamen probabilius judicamus, etiam malitiam sacrilegij posse reperiri, prout docet Coninck disp. 30. n. 18. dicens: Verosimilius est, sponte ita (id est, cum impedimento dirimente) contrahentes, committere duplex peccatum. De inobedientia per se patet, & omnes admittunt. De injuria Sacramenti probatur; quia profanant ritus ac nomen Sacramenti, iisque abutuntur ad nequitiam honesto nomine velandam: quod Sacramento omninò injuriosum est.

Probabilius est, etiam malitiam sacrilegij posse reperiri, ex Coninck.

Quod maximè verum est, quando in facie Ecclesiæ contrahunt. Si enim privatim contrahant, etiam ubi Trid. non est receptum, sæpe ab hoc peccato possunt excusari; eò quod verè non intendant aut Matrimonium inire, aut Sacramentum suscipere; cum sciant utrumque esse impossibile.

235. Dum privatim contrahitur sacrilegium abest.

Nec etiam intendunt hujus susceptionem simulare, sicut cum publicè contrahunt, cum hoc illis inutile sit; sed solum intendunt profanum inire contractum, se mutuo obligando ad fidem instar conjugum in mutuo corporum usu servandam: nisi fortè unus alteri persuaderet, se posse verum Matrimonium ita contrahere; tunc enim peccaret contra reverentiam Sacramenti, quod alter hic & nunc se credit suscipere.

Adde; si ordinent contractum ad copulam, quod communiter faciunt, peccare præterea contra castitatem, ut per se patet. Ita Coninck.

Potest etiam adesse malitia luxuria.

Quem sequitur Averfa sup. sect. 5. §. de impedimentis dirimentibus: Quia, inquit, culpa transgressionis contra legem irritantem, communis esset etiam Paganis, contrahere tentantibus cum aliquo impedimento dirimente, sive sumpto ex jure naturali, sive imposto ex jure positivo sui Principis. At fideles, qui sciunt, Matrimonium apud nos elevatum esse ad statum Sacramenti, & sciunt se cum impedimento dirimente reddere nullum & irritum Sacramentum, videntur ex hac etiam parte delinquere.

236. Idem docet Averfa.

Et hæc irritatio reverè cadit, non solum super rationem contractus, sed concomitanter etiam super rationem Sacramenti. Et lex quidem irritans lata est ab Ecclesia: sed ut in facto ita contrahatur Matrimonium, quod sit nullum & irritum, provenit & fit ab ipsis contrahentibus, qui cum tali impedimento, & contra talem legem contrahere tentant. Hæc ille.

Ipsi contrahentes faciunt Sacramentum irritum, & tunc.

Sicuti si quis baptizaret cum vino, lex quidem irritans talem Baptismum, lata est à Christo, qui instituit pro materia essentiali aquam; sed ut in facto ita baptizetur, quod Baptismus sit irritum.

Sicuti qui baptizatur cum vino facit Baptismum irritum.

fit nullus & irritus, provenit ab ipso baptizante, qui cum vino contra institutionem Christi tenet baptizare.

237. Nec obstat: quod hac ratione excusamus à culpa sacrilegij, ineuntem Matrimonium irritum ex gravi metu; quippe multa sunt, quæ in necessitate excusantur ab irreverentia Sacramenti; secus tamen, iudicio omnium DD. extra necessitatem. Obvia sunt in hoc nostro Opere, & idè illis recensendis non immoror.

Necessitas excusatur ab irreverentia Igitur non rectè sequitur; in necessitate ob gravem metum vel aliam similem causam contrahere Matrimonium cum impedimento dirimente licet absque peccato irreverentiæ, imò etiam inobedientiæ; ergò similiter id licet, saltem sine peccato irreverentiæ, extra necessitatem.

238. Enimverò in necessitate omnes iudicant, talem non velle conficere Sacramentum; imò neque contractum; sed solum exterius velle proferre verba contractus, cum animo faciendi totum, quod potest facere, de quo alibi latius egimus. At verò extra necessitatem, quando ita contrahitur in facie Ecclesiæ, omnes iudicant, talem velle verè conficere Sacramentum, & contractum Matrimonij, cum tamen minimè illa efficiat; atque ita abutitur signo Sacramentali, sive eo signo, quod hic & nunc existimatur Sacramentale.

Confirmatio ab alijs Sacramentis. Et sanè etiam in alijs Sacramentis verba Sacramentalia habent significationem distinctam à significatione Sacramentali: quis autem idè docet, quempiam posse usurpare illa verba extra necessitatem, tamquam non Sacramentalia, ubi & quando homines iudicant, esse Sacramentalia? Nemo hætenus ausus fuit id asserere, quod sciam; quàmvis nonnulli doceant, ut suo loco vidimus, licitum esse sic baptizare, vel absolvere in necessitate, v. g. ad evadendam mortem, ab extrinseco intentatam, citrà tamen contemptum Religionis. Quod addo; quia si in contemptum Religionis seu odium fidei, liquet profectò, id esse illicitum, ut suo loco diffusius probavimus.

239. Ad minùs ergò in proposito casu est fictio sive simulatio Sacramenti, quæ extra necessitatem videtur esse sacrilegium, id est, peccatum contra reverentiam Sacramenti.

Metus excusatur. Atque ex his satis patet ultima pars Conclus. de qua egimus superiori parte hujus Operis Sect. 7. ubi de Metu irritante Matrimonium. Videantur ibi dicta, maxime Conclus. 10. in qua ostenditur, Matrimonium invalidè contractum propter metum, non effici validum per copulam, ex eodem metu subsecutam; adeoque semper copulam esse illicitam, juxtà illam sententiam, quàmvis liceat irritè contrahere.

240. Nec obstat (inquit Sanchez sup. n. 4. ubi docet ultimam partem nostræ Conclus.) si dicas, duo in hoc eventu concurrere impedimenta dirimentia, alterum metus, alterum illius impedimenti dirimentis, v. g. consanguinitatis: quia tantum obstat valori Matrimonij unum, ac duo impedimenta; & rationes id probantes, quando

adeit solus metus, æquè probant interveniente alio impedimento. Cum in utroque casu sit legitima causa excusans ille metus; nec contrahentes irritent Matrimonium, sed alio jure irritum sit. Hæc ille.

Atque ut etiam contrahentes quodammodo irritarent, ut sup. ostendimus, equidem sic irritandi, causa sufficiens est metus.

Si inferas: ergò etiam consummatio Matrimonij, initi ex metu, cum impedimento Ecclesiastico consanguinitatis, excusari poterit probabiliter à culpa lethali fornicationis, quia sic potest excusari consummatio Matrimonij initi ex gravi metu, præciso alio impedimento.

Respondet Sanchez sup. neg. consequentiam. Et ratio est; quia licèt, regulariter loquendo, lex Ecclesiastica non obliget cum vitæ discrimine: at exceptio communis DD. est, quando ea lex valdè expediret ad bonum commune tuendum; hujusmodi autem sunt leges dirimentes Matrimonia in aliquibus casibus, ut usus Ecclesiæ testatur. Nemo enim auderet dicere, validum effici copulâ Matrimonium, metu gravi initum, & consummatum, absque Parocho & testibus, cum tamen lex illud irritans sit merè Ecclesiastica. Quoniam si metus efficeret, ut valida essent hujusmodi Matrimonia, cum impedimento dirimente inita, & consummata, facilis pateret via, ea impedimenta contemnendi, inculso eo metu.

Nec obstat simile adductum de metu; quia probabilitas opinionis, afferentis Matrimonium, metu gravi initum, & consummatum, esse validum, non eo fundamento innititur, quòd cum eo discrimine non obliget lex Ecclesiastica; sed quia solus metus cadens in virum constantem, irritat Matrimonium, qualis non est, cogens Matrimonium contrahere & simul consummare. Hæc ille.

Quæ, ut patet, non habent locum in præsentis casu, in quo semper manet impedimentum dirimens consanguinitatis, quocumque metu interveniente, etiam in ipsa consummatione. Vel ergò dicendum est legem Ecclesiasticam irritantem Matrimonium inter consanguineos cessare in illis circumstantijs, quando scilicet metu mortis cogitur consanguineus ad consummationem Matrimonij, quod nemo hætenus dixit, vel affirmandum omninò, copulam subsecutam ex tali metu, esse fornicariam; ac proinde potiùs moriendum, quàm consummandum ejusmodi Matrimonium.

Quia (inquit Coninck sup. n. 20.) etsi metus gravis tales excuset ab observatione præcepti Ecclesiastici, tamen non efficit eos habiles ad contrahendum. Sicut etsi excommunicatum non toleratum, excuset metus mortis, ne peccet exercendo aliquos actus jurisdictionis; non tamen efficit ut hi sint validi, quia non reddit ei usum jurisdictionis, quo privatus est. Similiter invincibilis ignorantia, excusat à peccato agentem contra quamvis legem irritantem; & tamen nullo modo efficit, ut actus sit validus; quia non reddit ignorantem capacitatem, quam lex ei abstulit. Quàmvis igitur Ecclesiæ, suâ prohibitione,

241. Metus non excusatur à fornicatione consummationem Matrimonij initi ex metu, cum alio impedimento, ex Sanchez.

242. Resp. ad arg. in contrarium.

Metus non facit licitam consummationem Matrimonij inter consanguineos.

243. Probatur ex Regio.

Ignorantia invincibilis excusatur à peccato, et tamen non efficitur validum.

tionem non possit efficere, ut eam omninò ignorant, aut gravi metu coacti, contra eam agendo, peccent; potest tamen etiam tales efficere inhabiles, ad aliquid agendum, idque merito facit. Nam etsi inde quibusdam in particulari gravia incommoda accidunt; tamen per accidens est, nec ita frequens, & graviora sequerentur incommoda, si hoc non faceret. Hæc ille.

Sed nunquid copula illa fornicaria ex eo impedimento accipit specialem malitiam in confessione specialiter explicandam? Pro resolutione erit.

CONCLUSIO VII.

Aliquando copula illicita ex conjunctione cum impedimento dirimente specialem contrahit malitiam: aliquando non.

244. *Quomodo copula fornicaria ex impedimento contrahat specialem malitiam, ex Sanchez.*
Rogat hic aliquis: quando contrahat specialem malitiam? Respondet Sanchez sup. n. 7. quando Ecclesia interdicat Matrimonium ob speciale motivum alicujus virtutis, quod spectat, idque invenitur etiam in copula illicita. Quia tunc militat eadem ratio prohibitionis, proinde eadem malitia reperitur in utraque copula.

245. *Objec. 10.*
 Si dixeris: ratio prohibitionis non est ipsa prohibitio, & potuit Ecclesia velle propter illam rationem prohibere copulam licitam, tamquam perpetuò quodammodo permansuram, non autem copulam illicitam, tamquam actum transeuntem.

Solvitur.
 Respondeo: ex ratione legis colligitur mens Legislatoris; & quamvis Ecclesia absolute potuisset unam copulam prohibere, & non aliam; haud equidem ordinate id fecisset; quia quod aliunde illicitum est, & in quo invenitur eadem ratio, potiori jure debet prohiberi, quam illud, quod alioqui foret licitum, ne ex malitia reportetur commodum. Cui hæc solutio non satisfacit, querat meliorem.

246. *Copula inter consanguineos in 2. & ulterioribus gradibus est incestus propter impedimentum.*
Probatur.
 Interim Ecclesiam voluisse utramque prohibere, quod indubiè potuit velle, manifestè apparet in consanguinitate; nullà enim alià ratione accessus ad consanguineam in secundo, & ulterioribus gradibus, usque ad quartum est incestus, adeoque species distincta luxuriæ, nisi quia Ecclesia in iis gradibus Matrimonium dirimit, ut usus Ecclesiæ, & omnium sententia docet. Nulla enim extat specialis prohibitio copulæ inter consanguineos, sed prohibitio Matrimonij inter illos, facta ab Ecclesia, constituit diversam fornicationis speciem, necessariò confitentandam.

247. *Confirmatur ex Sanchez.*
Et confirmatur (inquit Sanchez sup. n. 6.) quia sublata Matrimonij prohibitionem inter aliquos consanguineos, sive dispensatione speciali Pontificis, sive derogatione legis dirimentis in illo gradu, jam amplius coitus in illo gradu non est incestus: unde rectè Cajetanus Sum. verb.

Incestus, in initio, ait, incestum esse commixtionem veneream inter consanguineos vel affines absque dispensatione Matrimoniali. Tota ergò specialis malitia hujus concubitus confurgit ex prohibitionem Matrimonij. Et subindè idem videtur dicendum in alia copula illicita inter eos, qui quovis alio impedimento dirimenti laborant, ad ineundum inter se Matrimonium, quando ratio prohibitionis copulæ licitæ seu Matrimonialis, reperitur quoque in copula fornicaria.

Et confirmatur amplius; quia quoties malitia specifica copulæ illicitæ non pendet, nec consequitur ex Matrimonij prohibitionem, eâ sublata manet adhuc malitia illa; ut si cum habente votum simplex, aut solemne castitatis, dispensetur ad solum Matrimonium, quæcumque copula illicita, erit perinde sacrilega contra votum, ac si dispensatio non esset. Cum ergo contrarium reperiamus in consanguinitatis & affinitatis, cognationis spiritualis ac legalis, publicæque honestatis, disparitatis cultus impedimentis dirimentibus; iis enim sublatis per dispensationem, cessat specifica malitia copulæ; manifestè convincitur, eam oriri ex speciali Matrimonij prohibitionem; & subindè hanc constituitur in copula illicita diversam fornicationis speciem. Hæc ille.

Restat tantum, ut ostendamus speciale motivum virtutis, quod spectavit Ecclesia in constitutione eorum impedimentorum, etiam inveniri in copula illicita.

Concors itaque DD. sententia est, circumstantiam incestus diversam esse specie à simplici fornicatione, & necessariò explicandam in Confessione. Est autem incestus, sicut sup. dictum fuit ex Cajet. Commixtio venerea inter consanguineos & affines absque dispensatione Matrimoniali.

Et ratio hujus sententiæ est; quia Ecclesia dirimens Matrimonium inter consanguineos, observantiam debitam inter illos spectavit, & similiter dum dirimit inter affines. Quod motivum invenitur etiam in copula inter illos fornicaria. Quare prohibito Matrimonio inter illos, censetur subindè prohibita copula, & translata in aliam deformitatis speciem, videlicet incestus.

Idem ostenditur in impedimento cognationis spiritualis. Quia reverentia Sacramenti, ex quo cognatio hæc originem duxit, & observantia debita cognationi huic, quæ assimilatur consanguinitati, quæ sunt spectata ab Ecclesia, quod hæc Matrimonia, cum his impedimentis inita, irritaret, habent etiam locum in copula fornicaria inter spiritualiter conjunctos. Violatur enim reverentia debita Sacramento, & observantia debita conjunctioni illi. Hinc D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. *Si aliquis (inquit) abutatur personâ, conjunctâ sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus.* Sacrilegium quidem, quia ob Sacramenti reverentiam ea copula interdicta est: ad modum autem incestus, quoniam assimilatur violationi consanguinitatis.

Quid

251.
Similiter
inter cogna-
tes legales

Quid dicam de concubitu cum cognatis legalibus? Et ipse reducitur ad incestum. Quia sicut per adoptionem quis efficitur cognatus, ita obligatur legibus cognatorum naturalium, nimirum reverentiâ debitâ parenti adoptanti, cui non solum Matrimonium, sed etiam copula illa adversatur.

Item acces-
sus ad con-
sanguineam
in 1. gradu
sponsa pro-
pria de su-
turo.

Et consimiliter ad incestum reducitur accessus ad consanguineam in 1. gradu sponsæ propriæ de futuro, contra publicæ honestatis impedimentum, dirimens in eo gradu Matrimonium. Quippe id est quoddam conjunctionis genus, & affinitatis ortum ex consanguinitate.

252.
Concubitus
fidelis cum
infideli ha-
bet mali-
siam specie
distinctam.

Sic itidem concubitus fidelis cum infideli, adversus impedimentum dirimens, ob cultûs disparitatem, habet circumstantiam luxuriæ mutantem speciem, ac necessariò in confessione fatendam. Quippe ratio, ob quam Ecclesia id Matrimonium diremit; videlicet, quia cedit in Religionis dedecus, si fidelis cum infideli copuletur Matrimonio, locum habet in copula illicita; & idè prohibito Matrimonio, censetur specialiter copula illicita prohibita. Adde: rationem quoque esse periculum educationis prolis in infidelitate, & perversionis conjugis fidelis, quæ pericula, quàmvis minora, in coitu fornicario etiam reperiuntur, utpotè, qui unitatis carnem efficit, & valdè amorem conciliat, tametsi minus, quàm coitus conjugalis.

Trobasio.

253.
Confirmatur
ex gra-
vitate
pane.

Tandem (inquit Sanchez sup. n. 12.) pœna peculiaris gravissimâ, huic copulæ legibus statuta, argumentum non leve inducit, ut inde illius specialis gravitas desumatur. Nam l. Regiâ 9. tit. 24. part. 7. imponitur pœna mortis Judæo cum Christiana coeunti. Et l. fin. tit. 25. ead. part. imponitur Mauro coeunti cū fidei virgine vel nupta, ut lapidibus obruatur, & ipsi virgini vel viduæ, accessum Mauri patienti, primâ vice amissio dimidiæ bonorum partis, secundâ autem vice, amissio vitæ. Et si accessus fuerit Mauri cum Christiana meretrice, primâ vice uterque flagellus, secundâ autem uterque capitis pœnâ puniatur. Quod etiam apud. Hebræos ita grave facinus reputatum, ut Phinees zelò Dei motus interfecerit Judæum cum alienâ sectæ muliere Madianita coeuntem, Num. 25.

Item ex
Concil. Illi-
ber.

Rursus: in Concil. Illiberitano c. 50. dicitur, ut abstineat à Communione, fidelis cum Judæis cibum sumens. Si ergò tantum nefas censetur cum illis participare, cibum sumendo, quantò gravius censetur cum illis carnale commercium habere, ex quo unitas carnis confurgit? Hæc ille,

254.
Ad quam
speciem
peccati hic
accessus
pertinet.

A quo si petas, ad quam speciem peccati hic accessus pertineat? Respondet continuo: Quàmvis neminem id experimentem invenerim, existimo, ad Religionis Christianæ dedecus, & injuriam pertinere, ac proinde sacrilegium esse eam copulam.

An sit ea-
dem ratio
copula fide-
lis cum ha-
reticâ Af-
firmat San-
chez.

Nunquid etiam copula fidelis cum hæretica? Affirmat Sanchez sup. n. 13. Quàmvis enim (inquit) Matrimonium inter hos validum sit: at prohibetur sub mortali, ob dedecus & injuriam Christianæ religionis, & periculum per-

versionis Catholici, & educationis prolis in hæresi, ut videbimus in impedimento disparitatis cultûs. Quæ rationes suo modo militent in copula illicita cum hæretico, sicut cum infideli, ac proinde censetur specialiter etiam ea copula prohibita, & pertinere ad sacrilegium. Ita Sanchez.

Sed hæc doctrina videtur Dicastilloni difficilis; maximè (inquit) in his regionibus Septentrionalibus in locis, ubi frequentissimi sunt Catholici permixti cum hæreticis, non solum in eadem civitate, sed etiam in eadem domo & familia; durumque videtur obligare sub speciali aliqua specie peccati, militem v. g. huc illic discurrentem, & committentem peccatum fornicationis in diversis locis, & variis occasionibus, ad semper examinandum & inquirendum, an ea scemina, cum qua peccat, sit Catholica, nec ne? Itaque in hoc negotio in prædictis regionibus, nec videtur tantum dedecus religionis Catholicæ, quòd quis fortè miles, aut alius quivis, oblatâ occasione cum hæretica fornicetur; nec tantum est periculum prolis, sicut in Matrimonio; nihilominus semper videtur esse aliquod peccatum. Hæc ille.

Quæ facilè admifero, neque repugnant dictæ sententiæ Sanchezij, quæ generaliter affirmat copulam fornicariam cum hæretico esse mortale sacrilegium; quia nulla regula tam generalis, quin patiat, aut certè pati possit aliquam exceptionem, & peccata ex genere mortalia fiunt venialia ex parvitate materiæ; neque est ulla ratio, quæ probet hic non posse dari parvitatem materiæ. Quinimò occurrere possunt tales circumstantiæ, & jam sæpius occurrerunt, in quibus non obstante dedecore Religionis Christianæ, & periculo educationis prolis in hæresi, liceat Matrimonium fidelis cum hæretica, vel hæretico, de quo suo loco diffusius tractabimus.

Impresensiarum dico, etiam coitum cum impedimento dirimenti impotentiae, ut si frigidus vel Eunuchus coeat, habere circumstantiam diversæ speciei necessariò consistendam. Quia (inquit Sanchez sup. n. 14.) ratio prohibitionis Matrimonij inter hos, nempe impotentia generandi, & sic frustratio finis, ad quem natura coitum destinavit, militat etiam in copula illicita. Quare hic coitus reducitur ad peccatum contra naturam. Ita Sanchez.

Omitto impedimenta ligaminis, voti solemnitis & sacri Ordinis; quia res nimis clara est, quàm ut aliquis posset dubitare. Liquidò, inquam, constat, fornicationem cum impedimento ligaminis, esse adulterium, & cum voto solemniti, aut etiam simplici castitatis, uti & cum sacro Ordine, esse sacrilegium.

Sed nunquid erit duplex malitia, altera contra votum, aut Matrimonij fidem; altera verò, quia contra Matrimonij impedimentum? Negat Sanchez sup. n. 16. Quia (inquit) quàmvis prohibitio copulæ in his impedimentis non pendeat ex Matrimonij prohibitione; ac proinde concessâ, habenti votum, vel Ordinem, dispensatione ad Matrimonium solum, non ex-

255.
Dicastillo
cum impu-
gnat.

Sed non
expugnat.

256.
Coitus cum
impedimen-
to impoten-
tia habet
specialem
malitiam.

Sanchez.

Similiter
cum impe-
dimentis
ligaminis
voti solemn-
is, & sacri
Ordinis.

257.
An tunc sit
duplex Ma-
litia?
Negat San-
chez.

metur

metur copula à sacrilegio extrà Matrimonium habita, ut constat; at quia idemmet motivum est utriusque prohibitionis, nempe observatio voti, fides Matrimonij, indè est, ut minimè constituantur diversa malitia ab adulterio & sacrilegio. Hæc ille.

258. *Cum dispensatione in voto, & Ordine sacro, potest stare fornicatio sacrilega.*
Itaque differunt hæc impedimenta à prioribus, quòd in voto & Ordine sacro, possit quis dispensari ad Matrimonium, sic tamen, ut fornicatio habeat duplicem malitiam: in prioribus verò, sublato impedimento sive prohibitione, non maneat in copula illicita, nisi simplex malitia fornicationis.

Et ratio est: quia votum v. g. vel sacer Ordo, non tantum obligant ad servandam castitatem extrà conjugium, sed etiam in ipso conjugio. Tamen ergo liceat contrahere Matrimonium, & ita votum vel Ordo sacer non obliget amplius ad perfectam castitatem; obligat nihilominus ad castitatem conjugalem, seu eam, quæ stare potest cum conjugio. Et quis dubitet, abstinentià à fornicatione, posse stare cum conjugio? At verò in aliis impedimentis, tota malitia provenit ab illa prohibitione; quæ proinde sublata, aufertur tota malitia, etiam à copula illicita, adeoq; dispensatus in consanguinitate, v. g. peccat simplici fornicatione; porò cum dispensatione in voto, stare potest copula sacrilega.

259. Atque hæc satis de prima parte Conclusionis, quæ docet, aliquando copulam illicitam ex impedimento dirimente contrahere novam speciem malitiæ. Nunquid semper? Negat secunda pars Conclusionis dicens: *Aliquando non contrahit novam speciem malitiæ.*

Quando copula illicita non contrahit novam speciem malitiæ ex impedimento.
Rogat aliquis: quando non? Respondeo: quando irritatur Matrimonium non ob aliquod motivum virtutis, quod reperitur etiam in copula illicita; sed in delicti admitti pœnam, vel ad præcavendum aliquod damnum.

260. *Talis impedimentum est raptus, ex Sanchez.*
Ex quo infert Sanchez sup. n. 17. Si quisquam accessum habeat cum rapta consentienti antequam ad locum tutum restituatur, quamvis Matrimonium validum inter eos consistere nequeat, non esse circumstantiam mutantem speciem, nec notabiliter aggravantem, atque adeò non esse opus exprimi in Confessione. Quia ratio, quæ Trid. sess. 24. de Matr. c. 6. induxit, ad id Matrimonium irritandum, fuit plena libertas, in statu perpetuo desiderata, quæ minimè in copula militat: & ita ex hoc capite nulla est specialis prohibitio copulæ, constituens diversam fornicationis speciem.

Quòd si copula illa vi extorqueatur, erit distincta luxuriæ species, nempe raptus. At etiam antequam Trid. irritaret Matrimonium, ea inerat malitia tali copulæ, & inest hodie etiã, casu quo rapta non extrahatur de domo, in quo eventu non est impedimentum Matrimonij. Ex quo fit nullam confurgere malitiam novam ex talis Matrimonij prohibitione. Hæc ille.

261. *Impedimentum criminis non superaddit novam malitiam.*
Et n. 18. ex eodem principio seu antecedente infert: copulam cum foemina, cum qua nequit validè iniri Matrimonium ratione impedimenti criminis, non habere novam circumstantiam

exprimendam in Confessione. Quia (inquit) in copula illicita deficit ratio prohibitionis Matrimonij, nimirum pœna delicti admitti, & ne detur ansa captandi mortem conjugis, ad contrahendum cum adultera. Ita Sanchez.

Nec video quid hic dignum solutione possit objici, quod ex jam dictis non clarè solutum sit, aut nullo negotio solvi queat. Nam quod aliqui obijciunt contrà primam partem Conclusionis ex D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 1. in corp. simplicem fornicationem esse soluti cum soluta, intelligi debet, secundum Sanchez sup. n. 19., modò non sit aliquod impedimentum dirimens inter coeuntes, ex quo aliqua specialis malitia derivetur in copulam illicitam.

Dices: hoc est quod quæritur. Respondeo: hoc est quod jam antea clarè probatum est, maximè in impedimento consanguinitatis; siquidem, secundum omnes, copula illicita inter consanguineos non est simplex fornicatio, sed incestus.

Planè, inquis; sed hoc idèd, quia non est soluti cum soluta.

Fateor: sed sicut hoc impedimentum dirimens efficit, ut non sit copula soluti cum soluta, ita etiam alia impedimenta dirimentia, de quibus egimus explicando 1. partem Conclus. efficiunt, ut jam amplius non sit copula soluti cum soluta, quæ alioquin esset soluti cum soluta.

Quare autem id ipsum non efficiant duo impedimenta, de quibus in explicatione 2. partis Conclus. ratio in promptu est; quia motivum prohibitionis non reperitur in copula illicita, adeoque nec prohibitio; quia cessante adæquato fine legis in generali, immò & in particulari, cessat ipsa lex; jam autem in omni copula illicita inter taliter impeditos, cessat ratio legis; ergò & lex. Ubi autem non est lex, nec prævaricatio legis, proinde nec peccatum. Nam teste Psalmistâ Psal. 118. v. 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.*

Hoc pro fine hujus Conclus. & Sect. addiderim: quædam impedimenta dirimentia, præter culpam, & invaliditatem, inducere etiam excommunicationem ipso facto, non tamen reservatam, adversus eos, qui cum iis contrahere tentant; Clem. un. de Consanguinitate ibi: *Eos qui scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis constitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; nec non Religiosos, & Moniales, & Clericos in sacris Ordinibus constitutos, Matrimonia contrahentes, restrainere metu pœna ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.* Porò non debet hæc excommunicatio extendi ad alia impedimenta, præter ea, quæ in iis verbis expressa sunt.

Et hætenus quidem de Impedimentis Matrimonij in communi. Separatim jam agendum est, tum de impedimentis merè prohibentibus, tum etiam quàm maximè de impedimentis dirimentibus. Priori autem loco tractabimus de merè prohibentibus, quia res est facilis & brevis. Sit itaque.

262. *Objeçtio solvitur.*

263. *Consanguinitas facit, ut non sit copula soluti cum soluta.*

Quare id ipsum non efficiat raptus.

264. *Quædam impedimenta inducunt excommunicationem ipso facto.*